


# PALAESTRA LATINA



N. 223 — ANN. XLIII — FASC. III

M. SEP. DEC. — A. MCMLXXIII

# PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII  
CAESARAUGUSTAE EDENDI

## COMMENTARIORUM CONSILIUM

*Praeses:* J. M. Ciller, CMF.  
*Moderator:* M. Molina, CMF.  
*Administrator:* H. Arenas, CMF.  
*Curator technicus:* J. Aspa, CMF.  
*Praecipui scriptores:* J. M. Mir, CMF. - J. M. Jiménez, CMF.

MODERATIONIS LOCUS cui mittenda sunt scripta:

Colegio Menor — CALATAYUD (Zaragoza - España)

ADMINISTRATIONIS SEDES cui pretium mittatur oportet:

San Antonio M.<sup>a</sup> Claret, 9 — ZARAGOZA (España)

## PRETIUM SOLVENDUM

- pro commentariis quotannis edendis:
  - in Hispania constat 100 pesetis
  - in America Hispanica 100 pesetis
  - in Gallia 12 francis
  - in Italia 1400 libellis
  - in Germania 10 marcis
  - in Anglia 20 solidis
  - in reliquis civitatibus 3 dollaribus
- pro serie integra cujusque superioris anni:  
125 pesetis constat in Hispania.
- pro quoque fasciculo qui separatim venit:  
30 pesetis in Hispania constat.

---

Depósito legal Z. 191 - 1966 — Ordinarii et Superiorum licentia  
Ex officina typographica «EL NOTICIERO» — Caesaraugustae in Hispania

M. SEP. — DEC.

A. MCMLXXIII

223

ANN. XLIII

FASCIC. III

# PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII

SOCIIS CLARETIANIS TER IN ANNO EDENDI

# I N D E X

N. 223 — ANN. XLIII — FASC. III

M. SEP. DEC. — A. MCMLXXIII

V. ANGELINO, <i>Interminatum Lunae silentium</i> ... ..	131
R. PAONE, <i>Carmina</i> ... ..	145
H. DE FRANCO, <i>Nausicaa illa</i> ... ..	159
AEM. PIOVESAN, <i>De aliquot poetis latinis XVIII - XIX saeculi</i> .	169
M. MOLINA, <i>Bibliographia</i> ... ..	183

## INTERMINATUM LUNAE SILENTIUM

Ecce cosmicum navigium fremens paratumque; uterque rector jam sellam occupat oculisque intentis singulos explorat discos ubi lanceolae, modo lentae modo subitae, huc illuc vertuntur.

Aliquantulum longe, turba quaedam gravis cingit postremisque salutationibus prosequitur expeditionis ducem ejusque quattuor comites quibus adjungitur florens aetate puella, physicis disciplinis perdocta. Cosmonautarum tandem globus ab omnibus discedit rapidoque gressu ad navigium tendit singulique, angustos scalarum gradus praetergressi, ostium patens ineunt vicissim; puella autem, adhuc gradiens, convertitur ac manu ridentibusque oculis extremum vale praebet parentibus, dum pater erectum fidentemque vultum ostentat, cor vero saliens comprimit mater. Stridenti denique crepitu porta clauditur sonatque jussus: «Eatur ergo!», ac subito rugire etiam atque etiam incipiunt machinamenta dumque navigium violenter concutitur, fragor quasi ingentis tonitrus aerem lacerat interque immensas vaporis nubes sese tumultuarie effundentes navis tarde primum, cursu postea magis magisque citato in aerem ascendit atque oblique volatu sidera petit.

Immoti ad sellas, duo rectores suum quisque munus expediunt, multiplices indices speculantes atque intente radiophonica calautica verba captantes quae, per aetherem emissa, ad eos a terrestri astronautica officina perferuntur, navigii iter per inane regentia; ceteri autem cosmonautae, qui jam pluries, transactis annis, Lunam attingere, taciti mente volutant munera quae eos, russici rebus bellicis praefecti jussu, opperiantur ubi primum sua posuerint vestigia in deserto terrestris satellitis solo.

Abscedit interim Terra eandemque per specularia cernere jam licet veluti ingentem massam globosam quae gradatim decrescit; caelum vero nigrantibus tenebris prodit offusum, in ejusque sinu sidera conspiciuntur pacata nitidissimaque luce fulgere.

Suis praevalidis impulsu machinamentis, citatissimo volatu aerem secat cosmicum navigium atque unius diei itinere adsiduo quietoque per aethera transacto, incipit Luna, ad quam prora dirigitur, eo amplior fieri quo propior accedit navicula, jamque patefiunt in imum depressi atque in orbem circumacti crateres, continua montium juga, hic illic se in excelsa cacumina extollentia, atque amplissime se extendentes squalidae silentesque planities.

Navigii rectores, tabulam inspicientes in qua Lunae sunt regiones depictae, proram in septemtrionalem vertunt partem maris quod fe-

cunditatis vocatur, ubi eos ferreum quoddam aedificium exspectat, solidis cruribus in arenoso Lunae solo insistens immotum (monstrum dixeris horrens silensque) quod per spatia, aliquot ante diebus, ingens aeronavis a Terra rapuerat atque opportuna altitudine a Lunae solo disjunxerat; iter autem ipsa pergens exinde suum, Terram petierat, dum mirandum exstructum, Lunae attractionem exaequans vaporum jactibus a prora erumpentibus, leviter selenicum solum attingit ac super illud cruribus se ferreis figit.

Jam navigii celeritas sensim decrescit solumque Lunae propinquat fitque magis magisque perspicuum; tandem in eo, ingenti pulveris nube suffusa, navis insidit moraturque.

Nuntio per aetherias undas misso, quo felix faustusque expeditionis exitus sedi russicae refertur, cosmonautae, indumentis atque casidibus aeri imperviis sumptis ac suspensis ad terga peris quae oxygenium, vi magna compressum, constanter et exigue iis spirabile offerant, ferratum navis ostiolum aperiunt, parvis scalis quae sponte protrahuntur descendunt solumque premunt selenicum.

Oculis raptim circumductis ad insueta fruenda spectacula (eis arida circumjacet planities, quae passim modo rupestribus variae amplitudinis anulis craterum, modo praeeruptis montium jugis interciditur), celeri gressu, quandoquidem vis gravitatis ac ponderis, haud parvo minor in Luna, insuetam eis praebet agilitatem, ad cosmicam officinam, quae non longe ingens exsurgit, accedunt, portisque ejus patefactis, intente machinamenta explorant atque utensilia, si quod forte per iter ceperint detrimentum.

Non diutina quidem indigent investigatione ut certiores fiant omnia in promptu atque integra esse, ideoque se cuncti impigre ad magnum dedunt RADAR, ut vulgato nomine dicitur, attollendum, quod suis elatis antennis missile quodcumque vel quamlibet aeronavem captet quae terrestrem secant aethera eaque statim, undis electromagnetis per immensum puncto temporis tranantibus, ad russicam astronauticam officinam transmittat secretam.

Dum sol nitidissimus medio fulget caelo, iter suum tenebris cinctus emetiens, cosmonautae, locum nacti idoneum, vicissim auferre atque composite incipiunt instrumenta ac machinamentorum partes glomerare.

Vix quaedam simul nectere coeperant, cum repente cosmonauta qui ad scrinia radiophonica vigil manserat ut nuntia per aethera a Terra transmissa captaret, cursu anhelus accedit sociisque ei ilico circumfundentibus patefacit a Terra expeditionis moderatores nuntiare ingens cosmicum navigium, a globo rectum Transatlanticarum<sup>1</sup>, spatia tranans citissime, jam jam Lunae propinquare eo haud dubie consilio ut eorum opus quomodocumque prohibeat. «Missilibus

1. Sic malo «Americanos» latine vertere.

ignivomis opportune in id intortis, navigium animose disiciatis simul ac, Lunae proximum, pulvis illum circumcluserit, ita ut neque ejus nautae rem animadvertere queant, in Terra contra ejusmodi eventus casu evenisse putetur. Hoc bonum patriae imperat ipsaque id vos nulla interposita mora peragere jubet.»

Nondum verba finierat nuntius, cum omnes uno animo unoque impetu ad cosmicam officinam accurrunt, duo missilia materiis graviora, quae ad ea in quae incidant penitus dirumpenda valeant, in tubos jaculantes inserunt duxque ad malleolum premendum se apparat ceterique, suspensi cordibus, inexpectatum praestolantur eventum.

Sol interea sensim ad occasum vergit, dum ipsum silentium, quod circum eos imminet, extentius fieri atque profundius videtur.

Ecce autem emergens aeronavis ab extremo circulo Lunae, primum cito properans proram ad mare fecunditatis vertit, postea cursum refrenat ut in solo Lunae leniter insidat.

Dum taciti intentissimisque oculis interminatoque obvoluti silentio Russici navigium prospiciunt ad regionem advolans in qua delitescunt silentes, sensum quendam repentem insuetumque in imis innascentem cordibus experiuntur, qui ingruit gradatim ac magis magisque vehemens mentes agitatae perturbat: nonne insanum crimen atque inconsulta dementia, Lunae silenti circumvoluti quiete, foedus humanum quod homines universos intra se consociat, abrumpere?

Fere inscius, alius in alium oculos figit et intuetur quisque in alterius vultu easdem cogitationes eosdemque animi sensus depictos; jam ecce manus sponte a bellicis apparatus disjunguntur atque cuncti muti immotique perstant, trepidi exspectatione.

Ingens interea Transatlanticarum navis leviter solum tangit et parumper in se ipsa conclusa jacet immobilis, quasi secreto suo saepta. Improviso ostiolum aperitur atque scalae praetenduntur exiguae; quidam, habitu cosmico indutus, apparet incertus moraturque huc illuc inspectans, inde, gradus premens cunctanter, descendere incipit, eumque statim alii pauci sequuntur; utque primum Russicos, qui a recessu ubi furtive latebant prompte fidenterque prodierant, conspexere, una simul gressum ad eos animose maturant, juxtaque progressi, ad mutuam salutationem porrigunt manus quibus confestim suas Russici nectunt libenter.

Statim duo duces, radiophonico apparatu, quo utriusque cassis cosmica est instructa, properum conserunt colloquium. «Quid mentiar vel sileam? —orditur transatlantica —Haec erant nobis jussa: adempta vobis vita, exstructum vestrum vix inchoatum diruere atque, post quaedam experimenta patrata, ad Terram reverti.» — «Pariter nobis imperaverant ut vestrum accedens navigium ignivomis missilibus prosterneremus.» —respondet russicus.— «Quid autem vos compercuistis?» —instat alter.— «Ingens silentium atque interminata Lunae

solitudo nec non inexsuperabilis quidam impulsus qui nos quominus foedus humanum infringeremus cohibuit.»

Mutuam abruptit repentino sermonem adventans russicus adductus ad radiophonicos contactus cum terrestribus stationibus servandos, quem cito subsequitur transatlantida, uterque nuntiat a Terra iterum atque iterum efflagitationes increbrescere ut tandem referatur quomodo sint ambo exsecuti mandata.

Oculos dux alter in alterum vergit idemque propositum in utroque raptim exurgit: citato gradu ad suam uterque accedit aeronavem radiophonicosque contactus cum Terra sine mora disjungit. «Terra secum ipsa maneat, nos autem, hic transfugae, vitas nostras quomodocumque servare conabimur».

Inter socios regressi, quid decreverint quidque gesserint iis referunt, semotisque tandem dubia anxietate praetrepidaque sollicitudine, quae brevi at acriter omnium presserant corda, ecce statim inter illos homines, sibi usque ad id tempus ignotos, familiaris efflorescit conjunctio ac fraterna sodalitas.

Cito vero, animorum vehementi contentione concitatisque cordium permotionibus fracti atque enervati, in suum quisque secedit navigium ut tandem corpora somno relaxent, dum sol subito se pone dirupta montium cacumina occulit ac supra eorum capital fulget, sidus ingens ac nitidissimum, Terra.

\* \* \*

Expergefactis atque alto placidoque somno reffectis plane aperitur quantum eorum miserrima condicio omni sit spe destituta: quid agant, in arenti squalidoque sidere vagi ac remoti, quibus jam ut in Terram revertantur, penitus praecludatur, quandoquidem patriae proditores habeantur? Quomodo vero umquam fieri posse ut ea exusta aridaque vastitas ab hominibus incolatur? Attamen aliquid ipsis quoquo modo esse conandum. Quid autem si in Lunae profundis visceribus quoddam exstet (quod numina concedant!) occultum mare? «Mea quidem sententia —urget russicus dux— hoc ipsum est nobis prae omnibus atque confestim pervestigandum; neque machinamenta nec perfecta absolutaque nobis desunt instrumenta; jacent praeterea in nostro navigio cujusque generis edulia artificio parata quae per aliquot dies, etsi parce, ad nos suppetent alendos. Quid nos ergo moratur quominus fortunam periclitemur?»

Quasi quodam numine rapti, omnes, eodem jam consociati fato, ab ingenti cosmica officina, quae suis ferratis fulva cruribus juxtim attollitur, terebra unaque simul plastica materie, maxima vi praedita dirumpendi, depromptis, cratera profundum vestigant nec longinquum reperiunt, terebramque in imo ejus recessu applicatam, cum electricis machinamentis, quae eam circumagant celerrime, conjungunt terebrationemque ordiuntur.



Infimae silices, acriter exesae, pertunduntur expedite; novis autem additis pro necessitate terebrae partibus, maximam tandem perviam assecuti in Lunae visceribus altitudinem, postquam ingens plasticae materiei pondus in extremum immisere foramen, cuncti citato cursu per praerupta crateris declivia disperguntur, cumque jam satis afuerunt, per scintillam, vi electrica partam, materiem inflamment.

Terrifica soli conquassatio cosmonautas discurrentes deturbat pronosque humi deicit dum repente ecce a cratere amplissima exurgit nubes, superas regiones citissima petens.

Sensim dum sol obscuratur, intuentur obstupefacti cosmonautae longinque alios sparsim jactus vaporis se ad caelum tumultuarie vertentes intelleguntque constantem temperatamque virium aequabilitatem in interiore Luna esse perfractam atque mare, quod summa Lunae cutis, torrens atque dirupta, celabat, nunc effrenate per hiatus soli ab imo prosilire, in immanes vaporis nubes conversum, dumque, summa correpti admiratione, perstant immoti, umidus aer eos cingit acelumque implet, solis siderumque omnium eis adimens adspectum.

Ilico russicae puellae, physicarum rerum perdoctae, repentina occurrit cogitatio peridoneam instare occasionem ut in aethereo immoderato vaporis cumulo liceat ab infimis aquae particulis oxygenium per electrolysim extrahere, ut spirabili aere Luna quoque ditetur.

Protinus omnibus ei strenue opitulantis, missilia ad acria crebraque fulgura evomenda idonea quoquoersus in aerem diriguntur eo artificio ut circulatim praetervolitent Lunam.

Ut ea alternis vicibus in aethera emicant, vaporis ingens massa incipit fulminibus magis magisque frequentibus rescindi. Quasi mirandae magnitudinis alites, missilia in dispaes cursus singula evanescent ac dum aquae guttae increbescunt in siticulosum Lunae solum decidere incipiunt, ecce hic illic per aera tenuis color caeruleus, intra vaporis cumulos, apparet disparetque.

«Gratiae dis immortalibus persolvantur! —acclamat physica puella— Jam cernere nobis fas est oxygenium innascens seseque dispersim diffundens.»

A cratere interim immodicus atque effrenatus vaporis effluxus minime intermittitur, nec longa interponitur mora quin alterum alterumve missile ex adversa regione caeli se oculis praebat, iter suum in orbem persequens ac tractum ducens crebis micantem ignibus.

Fere amentes, cosmonautae, saeculis innumeris remeatis, sibi remotissimis temporibus vivere videntur quibus Terra immanibus ejusmodi vexabatur perturbationibus dum se ad animantibus idoneam offerendam sedem componit. Animis demum receptis, in navigia confugere statuunt ibique quoad illa ingens rerum pugna desinat opperiri.

In suum Transatlantidae Russicos invitant, ingressique una, arcte

ostiolum obstruunt, tandemque cosmicis exutis indumentis, simplici unusquisque sua hominis figura ceteris apparet: enitescunt inter omnes russicae puellae venustas flavique crines, eminentque corporis proceritas atque oris Transatlantarum ducis alacer vigor.

Sermo ilico nequitur concitatus inter eos transfugas quibus si ad Terram prohibitus jam est regressus, at vivendi cupido ardens perstat, compluraque intente disserunt: post aliquot fortasse dies, Lunae statum Terrae habitum quodammodo aequaturum, fasque futurum ut incommoda cosmica deponant indumenta seque ad necessaria munera multo expeditiores dedant, siquidem vis gravitatis ponderisque longe illic minor sit quam in Terra. Habitacula exstare, aquam aeremque, si di adjuvent, jam circa per Lunae regiones coalescere; primum ergo instare munus, ubi primum licuerit, ut in arenti Lunae solo sata ad ortum ciantur.

«Haud perdifficilis res; —interpellat russicus rerum naturae peritus— eo enim consilio ut edulia artificio parata interdum epulis jucundioribus mutarem per mensem quo hic moraturi eramus, haudquaquam sperendam fructuum copiam nobiscum attulimus, quae nunc congesta in recessu nostri jacet navigii, vosque hortor ideo —addit subridens— ut semina nucleosque, cum fructus aderitis, maxima seponatis cura, ut ea suo serere tempore queamus.»

«Nuntium attulisti gratissimum —ei reddit Transatlantarum navigii rector— ac me patiamini suspicari quoddam numen nobis hucusque invigilasse propitium. Jussi enim sumus vectare atque in Lunae solo per unum diem sub divo exponere cujuscumque generis semina ut noscere possemus num radii, quos cosmicos appellamus quosque scimus assidue ab inani profundo super aerem terrestrem delabi, ea intime laederent. Potius quam igitur in antiquo Terrae humo, ea in solo experiemur Lunae, ad juvenilem statum —sinant numina!— redactae, atque nobis utinam detur ea exsurgentia cernere ac cito virentia!»

Interdum abrumpitur sermo omnesque circa specularia glomerantur navigii: durant vaporis eruptiones quae aethera pedetemptim infuscant passimque in editis caeli partibus nonnullae interlucent aeris caerulei insulae; guttae autem crebriores atque citatiores in selenicum jam decidunt pulverem et mox imber violens planitiem circumstantesque verberat crateres. Fulguribus cinctum, quoddam adhuc conspiciunt missile praetervolans; quodpiam aliud, vi qua pellebatur exhausta, intuentur prolabens atque se contra solum allidens.

\* \* \*

Per integram hebdomadam cosmonautae, in navigio captivi, modo spe elati modo anxia sollicitudine dejecti, exspectant si quando illa vehemens rerum pugna tandem acquiescat. Octavo vero mane, cum

experrecti navigio egrediuntur, insuetum quoddam mirandumque spectaculum eorum obstupefactis oculis prodit: duo navigia atque prope adsurgens cosmica officina, innumeris rorida guttis, ad solis orientis radios collucent; ubicumque circum, lacusculi temperationis solis lumen immoti reverberant atque vice caeli tenebris obducti, in quo etiam interdiu nitidissima fulgere sidera solebant, nunc, toti Lunae circumfusus, subtilis extenditur aer caeruleus, oxygenio constitutus, quod, a guttulis vaporis exsolutum, immenso avidoque recingit Lunam amplexu.

Per aliquot momenta, stupor ingens omnes arripit et immotos coercet, exinde simul congregantur duoque duces audacter propositum ineunt a capitibus cosmicas cassides exuendi, experturi priores si forte novus aer sit ipsis spirabilis.

Simulatque capita nuda eminent, purissimum levissimumque oxygenium in pulmones irrumpit, ducibus gratum alacritatis sensum in totum infundens corpus dum sanguis laxior liberiorque per membra diffundi videtur.

Tunc cuncti cosmica indumenta celeriter deponunt, utque pueros modo huc modo illuc jucunde circumsilientes seseque pueriliter amplexantes cerneret, immodico gaudio deprehensos atque repentino.

At ocuis illa praeterit animorum candida effusio; uniuscujusque enim menti ardua quae eis prostant munera propere observantur. Si quidem machinales apparatus atque electrici minime desunt, ac si calefaciens radiansque vis solis in promptu est et si interminatum aeris spirabilis convexum nunc Lunam denique amplectitur nec habitacula desiderantur, attamen innumera urgent agenda, prae omnibus autem seminum satio.

Ab oleribus igitur atque a cerealibus incipitur: sacculis a Transatlantarum navigio detractis, patens seligitur planities in eaque cosmonautae, instrumenta tractantes quae, ad usus longe dissimiles conflata, nunc in pacifica atque impolita bipalia ac rastra ligonesque convertuntur, sulcos in madefacto aperiunt selenico pulvere in eosque ordine ac singillatim semina dispertiunt.

Si quis praecellentes illos physicos, in placidos mutatos imperitosque sudoreque madentes agricolas, conspexisset, profecto subrisisset oblectatus.

Laetum sationis laborem per multas horas producunt cosmonautae; defatigati tandem fameque laborantes, dum sol, jam ad occasum declinans, eis rutilo lumine blanditur, in orbem consistunt ac synthetica edulia quae sapidiora, additis fructibus a poenore russo detractis, reddere conantur, avide laetanterque exedunt.

Dum inter se fervide colloquuntur, munera in proximum distribuunt diem: pars novum ferreum exstructum attollet idque machinamentis aptis ad radiantem solis vim intercipiendam suppeditabit, pars vero altera ad inspiciendum cratera se conferet a cujus imis

perfractis visceribus magna pars amplissimi sub solo occulti maris, in vaporem versa, saevo impetu per plures dies diffluit.

Cum ergo aurora rubescit, consurgunt cosmonautae eorumque statuta manus per totum diem impigre ad partes omnes ferreae compagis simul nectendas incumbit atque desudat; vespere autem, sublimia in extremis exstructi partibus crystallina complura specula, miro disposita ordine, ad solem ora vergunt nitentia, motuque concordi se cum eo circumvertentia, ejus captatos radios ad subtilia implicataque machinamenta transmittunt, quae eos in vim calorificam partim partimque in electricam transmutant atque congerunt.

Globus vero alter ad cratera, qui jam silet sedatus, et ipse primo mane pergit ac postquam ejus os aegre attigit praeruptum, caute imum explorat nec aliud quam caecam intuetur voraginem; paulo posterius autem, cum meridiano fere tempore ad perpendicularum sol incipit imminere, in mirandam altitudinem depressum lacum vix prospiciunt immotum, a quo tenue murmur ascendit si quod saxum, temere jactum, diu prolabens, tandem in aequor offendit.

«Ecce aquae receptaculum quod inexhaustum dixeris. —adnotat quidam— Quid autem nos prohibeat quominus ex eo perennem depromamus rivum qui primus aridam secet Lunae planitiem?» Plauditur ilico sententiae cunctique sine mora ad socios certatim revertuntur, acervatisque et intra se arcte copulatis omnibus ex plastica materie fistulis a cosmica detractis officina, celeriterque regressi, quasi immanis longitudinis anguem in nigrantem altitudinem demittunt; quem ubi se in aquam senserunt mersisse, pneumatico organo vi electrica acto jungunt motionemque excitant.

Pauca transeunt momenta cum repente spumeus jactus emicat aquae, quam statim in haud longinquam flectunt depressam planitiem eo proposito ut renidens limpidusque lacus regionem ditescat in qua cosmonautae suam constituere sedem. Currit trepidans aqua per rivum atque incipit se lente super petrosam extendere alveum.

Insequentibus diebus, circa ejus ripas disposite nucleos et semina fructuum sedulo serunt cosmonautae, jam sibi mente silvulam fingentes quae quodam die, etsi remoto, suo virenti lacum amplexu circum cingat.

\* \* \*

Pluries illis instantis operae diebus russica puella cum Transatlanticarum duce collocuta atque operata est, pluries oculi alterius in alterius oculis se defixere, pluries altera alteri subrisit, dum in utroque sensim studium exsurgit cum altero aliquantulum commorandi ejusque intimus cognoscendi.

Quodam autem vespere, rivum juxta qui leni cum murmure pronus festinat ad lacum, obvii invicem fiunt, sibi invicem arrident, si-

mulque colloquentes prosequuntur. «Est mihi mater et pater qui a Terra discedenti suum filiae dare trepidum vale optaverunt; —orditur Natalia roganti Andrew (iis vocantur nominibus)— memini patrem, dum navigium ingredior, animosum erectumque se offerre, at in matris oculis me lacrimulas vix retentas conspicere.»

«Neminem ego ex meis in Terra reliqui; —reddit Andrew— immature me dulcis mater deseruit, in flore adhuc juventutis e vita decedens, paterque cum aliam in matrimonium sibi junxisset uxorem, me coepit gradatim posthabere sensimque neglegere, ideoque, in mea desertus solitudine, rerum naturalium studiis ardentem me dedere coepi, in quibus cito praecipuus esse non sum cunctatus. Quotiens vero cupivi ut dilectae matri meos optimos exitus noscere liceret quotiensque desiderio flagravi percaram ejus audiendi vocem, quae mecum gratularetur, tactumque experiendi levem manus ejus meam comam permulcentis!»

Oculos erigit Natalia in ingenuum et alacrem comitis vultum atque molli secretaque carpitur erga eum pietate eique respondet: «Me quoque physicorum studia jam a pueritia allegerunt et in Petroburgensi Studiorum Universitate haud difficulter inter condiscipulos eminui. Hac quidem ratione duobus abhinc annis, coetui addita sum physicorum quos in vestram patriam, ut congressui adessent de infimis materiae particulis inquirendis, exciveratis. Ibi ad communem pervestigationem absolvendam aliquot commorata sum menses eoque tempore satis perite vestrum didici sermonem».

«Absque dubio —pergit in cogitatione defixus Andrew— assequitur scientia ut inter se concilientur homines junganturque, at quo tandem fati decreto evenit ut perpetuo inter se populi conflictentur aveantque, a quo tempore in Terris apparuerit homo, bellis, eversionibus atrocibusque facinoribus, insane atque furenter aevos transigere?»

«Reconditum hujusmodi arcanum me quoque jamdiu cruciat; —reddit Natalia— quin fieri possit, hac eximia intellegendi facultate ditati, ut tandem aliquando homines, pace inter universas gentes conciliata, totos se ad vestigandam naturam, ad mira artificia excudenda, ad humanas litteras excolendas atque ad vitam laetantes fruendam, dedant? Ad quid divinum hoc munus si ut una placide vivamus ne pervincimus quidem, quod contra ipsa beluarum assequuntur genera?»

«Parum afuit —immurmurat Andrew— quin inter nos quoque antiqua prorumperet insania atque in hoc semoto desertoque sidere vetus Cain scelus renovaretur. Prorsus quatenus ab hominibus sejuncti, soli coram solis, hoc ingenti circumvoluti silentio, reminisci quivimus nos ante omnia unius immensae fratres esse familiae.»

«Nunc autem, quid nobis obveniet? —rogat submissa voce Natalia— Fervida horum dierum alacritas fere nos impedit quominus co-

gitemus. Hic nos incognitum tenet fatum; quousque nobis superstitionibus esse licebit?» Cui Andrew: «Quandoquidem his haeremus angustiis tantummodo quod foedus humanum frangere nolimus, utique arbitror minime fieri posse ut ille, quisquis formator fuerit universi, nos hic desertos neglegat. Ceterum in nostris navigiis varia ingentiaque non desunt machinamenta, aer et aqua fere per miraculum sunt nobis oblata, quocirca non modo persuasum habeo nos ad hanc selenicam regionem virentem reddendam valituros, sed et spem teneo firmam quodam die iterum ad terrestrem patriam nos posse reverti.»

Dum juxta rivum taciti regrediuntur, oculos ad caelum extollentes, nonnullas conspiciunt nubeculas quae, tamquam navicularum grex solivagus, aethera lentissimo secant cursu. «Primae sunt nubes—Andrew ait subridens— quas sol a nostro lacu radiis elicuit suis; Lunae domicilium magis atque magis adsimulari jam incipit Terrae!»

Sol interim ultra montium juga dilabitur serenusque orbis nitentibus fulgere orditur sideribus, cum ambo ceteris se jungunt cosmonautis unaque convivantur euntque postea dormitum. At serius somno devincitur Natalia: diu fidens ingenuusque ducis Transatlantarum vultus ob ejus oculos versatur illiusque verba adhuc resonantia ipsa sibi audire videtur.

Transeunt interea dies, aliquot operositatis navitatisque pleni: in cosmica officina cujusque generis experimenta temptantur ac machinamenta, quae sint usui vicissim gregi illi hominum in inhospito sidere destitutorum, vel parantur vel reficiuntur; adhibitis praeterea selenicis silicibus, ex pluribus concretis naturis, nova conflata sunt synthetica edulia, dum specularium ad radiantem vim solis captandam, nuper exstructum, jam caloris electricisque fluxum offert adsiduam; sensim vero lacus amplior factus est atque profundior nec non modicus aliquis imber jam alere consita coepit.

Quis autem narret quo suavi affectu permoti cosmonautae olera spectaverint e tepefacto Lunae gremio tandem exsurgentia ac brevi herbescentia? Nec multo post, pomiferarum arborum silvula quoque fit per exigua virgulta perspicua, quae mox viridantibus ornantur foliolis. Mirum vero quantum regio discrepet exculpta ac tenellula induta viriditate, cum circumacta squalenti atque arenti tellure, crateribus ac montibus praeruptis sparsim intercisa.

\* \* \*

Ex quo die primum suos invicem sensus cogitationesque ingenue patefecerunt, intra Nataliam familiaritas atque Andrew intimior facta est et conjunctior nec diu socios latuit duorum juvenum animos quodam blando eodemque ardenti affectu magis magisque capi.

Perdium vero incertus Andrew moratur multaque secum ancipiti volutat animo: quomodo, in illo infesto sidere remotus, sibi Nataliam vitae sociam conjungat? Verumtamen, quam sit utrique dulce atque jucundum mutuo perfrui amore animisque fere in unum conflatis, sortem tam insuetam plenamque insidiis una periclitari!

Quodam autem die, dum in cogitatione defixus haec secum rursus agit, Nataliam sibi obviam conspicit accedentem.

«Qua de causa te ita cogitandum deprehendo?» vultu rogat illa arridenti. Cui ille prompte fidenterque talia reddit: «Tempus est tandem ut candide tibi loquar. Duae in mente mea jamdudum intra se cogitationes rixantur: si plane intellego quam sit suave meam tecum vitam partiri tibi que totum meipsum offerre, at pariter mihi nequeo temperare quin quaeram quo jure te mihi hoc rerum incredibili ambiguoque statu audeam sociare».

«Aures tuas mihi intentas, quaeso, admove. —ei respondet, ore gravitate composito, Natalia— Ego quoque, ex quo te mecum audivi libere candideque loquentem atque humanitatem integritatemque animi tui conjectavi, eadem quae tu sollicite diuque perpensi. At nunc interrogo: quid tandem ad nos imminet fata, quaelibet sint eventura? Si qua calamitas, quam ne mente quidem effingere nobis fas sit, nostrum hunc gregem pusillum obruat aliquando, nonne nos antea vitas junxisse, flore fructos esse juventutis nostraque corda mutua dilectione arcte devinxisse, praestabit?» dumque loquitur, praetrepida fremensque propior accedit oculosque ardentis in ejus vultu defigit. Eam cito Andrew, et ipse imo fremens, brachiis contra pectus artius amplectitur, dum os jungitur ori.

«Hoc ipso die —immurmurat Andrew a complexu se denique solvens— socios nostrum docebimus propositum,» atque adhuc perturbati trepidantesque ad aeronaves contendunt comitibusque in unum coactis suum patefaciunt secretum.

«Ne rem nobis inexpectatam referre putaveritis; —primus jocose subridens respondet navigii russici gubernator— compertissimum enim habebamus haec ad ejusmodi exitum evasura.» Ab omnibus jucunde ridetur, dux autem russicus, ad socios conversus: «curandum nobis est —addit— ut sacrum nuptiale rite solemniterque —ut nobis fas est— agitetur. Ipse, si id vobis probetur, quippe qui maximus sim natu, sacrum agam; nec deerunt hymni qui ritum efficiant laetiores. Sponsis autem russicum navigium habitandum rogo ut concedatur; haud enim erit mihi meisque molestum in amplam cosmicam officinam demigrare. Quod autem ad vos attinet —subicit Fiodor (hoc illi est nomen) se ad Andrew Nataliamque convertens— cuncti exoptamus ut hic, etsi minime commoda suppeditant quae Terra largiter suis incolis profert, dies isti laetissimi vobis praeteant. Omnibus constat Lunam amantibus qui Terram incolunt favere; quidni largius benigniusque suis secundet?»

Plaudent omnes arridentque sponis, eos ovanti saepientes corona, dum Andrew humeros amanter cingit Nataliae, cui genas lenis rubor suffundit.

Aliquot horis post, in cosmicam officinam sedulo emundatam et quam optime in ordinem digestam, congregantur cuncti atque ita russicus dux, utroque navigii rectore a latere adstante, orditur:

«Omnes flagito ut linguis faveatis. Vultisne, Natalia atque Andrew, perenni vinculo vitas conjungere vestras?» Postquam ambo, secreto quodam aestu correpti, adsensere «jungite ergo manus —prosequitur Fiodor— atque reminiscamini posthac, ubi sit Cajus, te quoque Cajam adesse oportere; cuncta autem gaudia aerumnasque, si quae sint superventura, simul esse fruenda vobis atque patienda, alterum porro alteri praesidium ac solacium esse debere quoad Parca vestrae stamina vitae praecidat.» Submissiore postea ac simpliciore voce sic prosequitur: «Nunc vero non mea modo sed et omnium omina ex imo porrigo corde ut candidi fulgeant inde ab hoc tempore vobis soles; si quando autem parvulus selenita suos in hac remota mundi plaga vagitus edat, jam nunc exoptamus ut nonnisi felicibus perfruatur diebus.»

Omnibus jucunde plaudentibus, mutuuum osculum, jam conjuges, sibi ferunt Andrew ac Natalia, hilarique sociorum caterva stipati, ad cenam nuptialem contendunt, quae quidem inusitati generis ferculis est apparatus: quis enim non subrideret apponi cernens convivis synthetica edulia, cocta olera, poma nonnulla et —mirum!— duas Lilyboetano impletas vino lagoenas, quas nescio quis cosmonauta, antequam a Terra abscederet, furtim in quodam secreto navigii recondiderat angulo. Non desunt ergo propinationes, cui nuptiales adduntur chori, modo Russicis modo Transatlantidis scite animoque libenti canentibus.

Sole jam ultra montes dilapso sideribusque innumeris jam per serenum orbem collucere incipientibus, omnes tandem eunt dormitum, ac nox secreto suo involvit amantes quibus omnia circum evanescere videntur dum ambo in imam beatitatem immemores demerguntur.

Primo mane, sonitus subitus necopinatusque per ingens matutinum silentium ferri auditur sublime, quasi liquidus luscinae cantus: Fiodor, quem mensibus illis sollicite operoseque trasactis praeterierat se secum a Terra suam tulisse fiduciam<sup>2</sup> qua per cessati operis intervalla oblectaretur quandoque, rei repente recordatus, consilium inierat pulcherrimis mollissimisque modis, quos memoria teneret, sponso exspergefaciendi. Musicae notae praetervolantes Andrew Nataliamque e somno blande excitant, eisque tacitis commotisque suaves expromere videntur intimosque sensus qui leniter id temporis eorum sollicitant corda.

---

2. Ital. «violino» (Bacci).



Ut tandem tacuit fidicula, egrediuntur dilectoque amico laudes gratesque arridentes persolvunt.

Sol interea cacumina montium craterumque ambitus radians incendit, sociorum quemque ad cotidiana advocans opera; disperguntur ideo, pro more, ad suum quisque munus, at nemo, ut antea, naviter alacriterque officia illo die perficit sua: sacrum nuptiale conviviumque, quibus laete omnique cura soluti interfuere, ipsis fere insciis memorias nunc exspergefaciunt quas antea oblivioni dederant atque in imo obruerant corde.

Ecce nunc coram eorum oculis vultus dilecti praetergrediuntur mentequae dies festi transactique temporis grati depinguntur eventus. Simul vero aliae, quas usque ad eum diem sponte neglexerant, subduntur animi fluctuationes seque tunc primum anxie interrogant quid illis mensibus in longinquissima Terra evenerit quaque ratione nullum aliud cosmicum navigium inde ad Lunam pervenerit. Utrum Terrestres detinuit quod contactus per undas electromagneticas abrupti sunt repentino nec umquam postea denuo redintegrati, an potius gravis quidam casus eos deterruit ne jam in apparanda navigia incumberent quibus aethera peragrarent?

Dum ergo Natalia et Andrew, quocumque munere soluti, primas novae vitae horas blandissimo gaudio repletas traducunt, hac illac vagi, modo fervide jucundeque mutuuum nectentes sermonem, modo taciti sua secum secreta atque dulcia cogitata volutantes, in ceteris sociis augescenti taciturnitate correptis, gliscunt memoriae ac magis magisque cupidine quorundam tandem nuntiorum flagrant accipiendorum quidnam in remotissima Terra contigerit.

Vespere autem, cum mensa eos omnes una simul contraxit, russicus dux, qui suum sociorumque animos paribus angi curis animadverterat, sic verba faciens orditur:

«Dilucide sentio, socii comitesque, quid vestra corda concitet atque perturbet, planeque intellego gratissimum eventum, qui nobis peractus sit praesentibus, si quidem vehementi duos amicos affecerit beatitate, at imos sensus nostros affectusque perculisse eosque inexsuperabili vi ad remotam Terram traxisse, ubi domus nostrae exsurgunt, ubi loca dulciter nota urbesque nostrae stant patriaeque.

Quartum jam hic vivimus mensem, cum fato quodam incredibili tam strenue pugnantes ut vetustissimum hoc sidus, quod qualibet vita carere putabatur, ad id sit a nobis adductum ut Terrestribus, etsi precarium, attamen tolerabile praeberet hospitium, quo in hospitio amor ipse, quasi flos purpureus in inculta solitudine, hic inter nos effloruit. Vos igitur interrogo num putetis patrias nostras, ubi eas de omnibus quae hic passi simus fecerimus certiores, benigne incepta nostra esse excepturas nosque iterum in suam sodalitatem accepturas.»

Socii omnes intentissimas his dictis praebuerant aures, primusque silentium solvit Andrew sic ordiens:

«Tametsi felicitas, quae me atque Nataliam his obvolvitur horis, nos quodammodo visa est a vobis disjungere, minime nos praeterit tandem communis consulti tempus advenisse. Itaque pro parte mea spem alo firmam fore ut terrestres fratres recte nostram agendi rationem sint interpretaturi nosque insontes neque indignos sine cunctatione ascituri sint concives. Unum est enim scelus nostrum, nostram intimiorem humanitatem aspernari noluisse. Ideoque censeo ut sine mora Fiodor ipseque radiophonicum contactum cum terrestribus redintegremus stationibus et quaecumque sint a nobis gesta aperiamus et quidnam sit nobis agendum rogemus.»

Placet cunctis sententia: uterque ergo dux, sua cosmonautarum manu comitatus, ad proprium accedit navigium, dum sol ad occasum declinans, extremis cacuminibus montium craterumque propinquat, ea rutilo incendens lumine.

Radiophonicis sumptis calauticis, duces ambo, nonnullos vertentes globulos, contactus renovant electricos vocemque, in immensum undis latam electromagneticis, dispergunt, rogantes ut terrestri statione percontanti reddat responsum, moranturque postea taciti aures erigentes, sociis cincti qui animo haerent ipsi quoque suspenso.

Diu siletur a Terra. Pluries tunc postulatio iteratur, cui idem inopinatum sequitur silentium. Dum attonitos oculos cuncti in se invicem convertunt, ecce ab orientis apparet regione lenteque per aera ascendit terrestre sidus, non autem placido fulgens, ut antea, nitore, sed ardenti flagrans rubore et ab imis visceribus immensos jactus exhalans coruscos. Nec longum meaverat tractum, scandens per aethera, cum repente immanis diruptio illud in partes perfringit quae huc illuc palantes dilabuntur, fumidos flammantesque sulcos pone linquentes.

Horrore ingenti vehementique animi consternatione perculsi, perstant amentes cosmonautae: Terram, eheu Terram, ubi carissimi sui quique vivebant, ubi fraterna hominum multitudo illis iisdem annis, per cunctas dispersa regiones, vitam, ut ipsi, inter spem curasque atque gaudia et angores transegerat, et ubi interminatae gentes, per innumera jam clapsa saecula, strenue ac pertinaciter certaverant quo gradatim humaniores cultus rationesque vitae liberaliores assequerentur, horrida sustulerat atomica clades.

Prof. VIDO ANGELINO  
Apud Lyceum Humanisticum  
Via Cotelivier, 4  
10056 - OULX (Augusta Taurinorum) in Italia

# C A R M I N A

## IN MORTUUM MEUM «SANCTUM FELICEM» PAGUM

Tu quoque de Latiis Musis, o mortue page,  
consequeris partem, dum mea Musa sonet:  
dum «NATALE SOLUM» carmen duo tresve nepotes  
per colles memorent arvaque cara meum;  
dum mea vita suum valeat traducere tempus  
post hanc aetatem, non secus Artis amor!

## AD HIRUNDINEM PROFICISCENTEM

Quae mihi jam vernas referebas, mitis hirundo,  
auras, aprili sole calente, novas,  
quae laetabaris, volitans aestate canora  
per campos mecum garrula perque vias,  
nunc, abitura, mihi luctum mandare videris:  
laetitiae finem tristitiaeque caput...  
Jam valles nebulae retinent et culmina; cornix  
jam pluvias rauca voce coraxque vocant;  
arboribus colles furians folia excutit Eurus,  
quae fore credideram collibus usque decus;  
autumni tempus propere succedit, hirundo;  
moxque subibit iners, mortis imago, gelu.  
Ecce, meae vitae quoque sic brevis occidit aestas,  
imminet et rapido cruda senecta pede;  
nonne mihi raris canis conspergitur aetas?  
nonne natant oculis nubila taetra meis?  
Tu utinam redeas cum membra sepulta quiescent  
haec mea! Defuncto tu mihi dulce canes...  
Ardeat in tumulto, veluti tunc rubra corolla,  
flamma micans animae non peritura meae;  
scilicet innuptae sapientis virginis instar,  
quae ad Christi reditum pervigilabit amans!

## IN FRATRIS FUNERE

*(Ad Josephum fratrem dilectissimum, media nocte a. d.  
XII Kal Februarias Anno MCMLXXXIII hac vita miserrima  
functum)*

Nullum carmen adhuc Tibi Musa Latina dicavit,  
morte nimis propera Frater adempte tuis.

Quo, Josephe, Tibi semper sum vinctus amore,  
exstabas puero qui mihi saepe pater!

Paulo major eras natu, et patientia multa  
ex pueris inerat cum bonitate Tibi.

Hac re sensisti quid possent fratris acutae  
ungues in vultu laesus utrimque tuo.

Bellus eras vultum, ceu persica rubra ferentem;  
tunc ego tigris eram; tu quasi mitis ovis!

Complures volucrum nidos tu vere requiris:  
at numquam matrem pignora flere sinis.

Mitior inque dies, puerosque senesque colendo,  
fis; pius et prudens semina in arva jacis.

Ipsae boves, asinam curas... animalia cuncta  
diligis et cunctis grata alimenta paras.

Quam Tibi sum gratus! Sivisti me in bona asella,  
cui nomen «Gilda» est, usque equitare tua!

Cum patre, cum Genetrice pia, cum conjuge functa,  
cumque Rachele mane, contumulatus item!

In rude non ego portabor solidumque sepulchrum:  
me quocumque solo, tunc date pace fruar!

Henricus, mecum, simul ac sua lumina condat,  
sub terra nostra rite futurus erit;

Vobiscum veniet Michael post tempora multa!  
Cognatae venient, dein, aliquando, Rosa.

Ominor ut nullum, vivo genitore, nepotem  
mors rapiat; potius sint mala cuncta mihi!

Heu, Josephe, vale! Lacrimis his vulnera, septem  
post decies annos fac precor illa lavem!

## IN MORTE DI MIO FRATELLO PEPPINO

(Versione libera dai versi elegiaci latini dello steso Autore)

*Peppino caro, nessun verso ancora  
ti dedicò la mia Musa latina,  
o fratello di morte repentina  
rapito ai tuoi in così tragica ora!*

*Per me tu fosti come un padre, allora  
che fummo nella nostra età bambina.  
Io —pur di te minore— con felina  
unghia ferivo... Il tuo volto, d'aurora  
fresca ridente, sopportò gl'infidi  
miei gesti di tigrotto lacerante  
la rosea guancia, che brillò a te solo.*

*E ricordo i tuoi cento e cento nidi  
nascosti a me, finché la pigolante  
nidiata non avesse preso il volo...*

*Prediligevi i vecchi ed i bambini;  
con grande cura davi semi ai campi.  
Bovini, equini ed asinelli, ovini  
amavi: a tutti preparavi gli ampi  
canestri d'erba medica... Or, nei confini  
di stretta tomba pure tu t'accampi  
col Padre, con la Madre... ove i suoi fini  
segnì lasciò la tua Maria, tu stampi*

*con lei le orme di morte... ove la cara  
Rachele venne prima e ti sta accanto!  
Me già non porterà con voi la bara;*

*Voglio dormir, dovunque sia, sotterra,  
come l'amato Enrico... E tutte, intanto,  
verranno le Cognate, oltre la guerra!*

*Oltre la guerra lunga della vita,  
verrà Michele... dopo (come io spero!)  
verrà la nostra ROSA, già afiorita  
nelle lagrime sue, cara al pensiero*

*dei cari figli, ch'essa ancora incita  
(come io tutti i nipoti!) al ben, foriero  
di sogni belli e realtà infinita  
—vissuta insieme al saggio suo Severo—!...*

*Perdonami, o Peppino, se trottato  
ho con la "Gilda" tua troppo frequente;  
e —dopo settant'anni— l'aggrumato  
sangue dei graffi miei sia finalmente  
dal tuo bel viso tutto ben lavato  
cogli occhi miei, col pianto mio cocente!...*

## NATALIS, DIRUTI PAGI TILIA

Arbores inter, tilia o superba,  
 quae mei pagi es veneranda imago,  
 te cupit grato celebrare cantu  
 parva Camena,

oppidi quae nos in plateam vocabas  
 sub tuis ramis patulis per annum  
 omne festivum juvenes senesque  
 tempus agentes.

Te canam tandem, mea dum senecta,  
 cui nimis vitae glomerantur anni,  
 haud procul sentit sibi jam paratum  
 esse sepulchrum.

Tu coronaris foliis novellam  
 ad juventutem, redeunte vere,  
 tot tibi annorum numerus mihique  
 sit licet idem;

fert enim vires tibi solis axis,  
 cujus aeternis radiis calescis,  
 teque Tyrrhenum mare mulcet, auris  
 oscula miscens;

ast ego in parvo studiis vacabam  
 usque conclavi teneris ab annis:  
 heu! mihi nullus quasi sol adesset,  
 et mare nullum...

Nata tu mecum, (Pater id puello  
 saepius sanctus mihi dixit ipse;  
 audii felix totiens colendae  
 Matris ab ore)

es soror dulcis mea, cui salutem  
 me jubet multam citharoedus almus  
 delphicus Phoebus dare, quo, comata,  
 vitis ad instar

proximae et lauri, simul et virentis  
 ilicis buxique, magis magisque,  
 ter meos annos revirens quaterque  
 vincere possis!

## IL TIGLIO DEL NATIO VILLAGGIO

(Versione metrica libera dello stesso autore)

*Mio tiglio, che, tra gli alberi, superbo  
simbolo resti del natio villaggio,  
te con modesto canto or celebrare  
gode la Musa;*

*te, che adunavi già sulla piazzetta  
sotto i tuoi rami ombriferi per ogni  
tempo festivo giovani ad anziani  
cortesemente.*

*Ti canterò, mentre l'età senile,  
che gli anni miei moltiplica, già sente  
che non lontano preparato attende  
il mio sepolcro.*

*Tu t'incoroni di novelle fronde,  
quasi a novella giovinezza ogni anno,  
a primavera, benché gli anni tuoi  
sian pari ai miei;*

*novella forza reca a te il bel sole  
che ti riscalda co' sereni raggi;  
dona carezze l'aura del tirreno  
mare e i suoi baci;*

*a me non già, ché chiuso e chino ai libri  
nella mia stanza, sin dagli anni primi,  
nessun per me raggio di sol brillava,  
e nessun mare...*

*Tu con me nato, (dai paterni detti  
l'appresi io bimbo, e già più spesso ancora  
dalla materna voce: o venerandi  
miei Genitori!)*

*mi sei fratello caro, a cui salute  
pregar comanda il citaredo nume  
delfico Apollo, ché lussureggiante,  
come la vite*

*ed il vicino alloro, e l'elce, e il bosso,  
e più di questi, tu, più volte ancora  
rinverdegiando, tu questi anni miei  
vincere possa!*

In tuis ramis vaga carduelis  
 frondeum cantat positura nidum,  
 dum nova aestatis soboles per auras  
 avolet omnis.

Sola quae pagi revocas ruentis  
 nomén, in longum remane oro tempus;  
 impleas nostras aliquando olenti  
 polline nares,

quo mihi caros nimium nepotes  
 reddis interdum quasi temulentos,  
 haud secus mustum redolens Falernum  
 mense Novembri.

Vulturum, hic illic, agitantur alae;  
 non prius visi colubri per hirta  
 saxa nos terrent, fugiuntque edaces  
 undique mures;

densa cornicum crocicans caterva,  
 atra corvorum sociata turma,  
 inferunt parvis avibus pavorem  
 atque ruinam.

Te bonam cunctae volucres frequentant;  
 teque maternam tiliam salutant  
 passer argutus, galeata alauda,  
 nuntia veris!

Sole sub pleno nitidi diei  
 per tuos flores et apum cohortes,  
 mella carpentes, strepitant, venusta et  
 cocca rubescunt.

Nocte, de silva philomela deflet,  
 turris ex pinnis lacrimatur ales  
 Palladis, bubo, sine fine fata  
 tristia fundens...

Sordidae muscae hinc abeant; feroces  
 sintque crabrones procul atque vespae;  
 floridos ramos genus ornet omne  
 papilionum...



*Infra i tuoi rami il vago cardellino,  
mentre prepara il nido suo, gorgheggia  
sino a che tutta la sua prole estiva  
vedrà volare.*

*Tu solo del villaggio, ormai disfatto,  
tramandi il nome : resta ancor per lunghi  
anni, ti prego, e ancor le nostre nari  
e dei nipoti*

*empi d'aulente polline, che ebbrezza  
genera, come il redolente mosto  
del Massico, nel mezzo di Novembre  
fattosi vino...*

*Vedi agitarsi le ale agli avvoltoi,  
atrisciar —non visti prima— rei serpenti  
che spargono terrore; e di tra i sassi  
fuggono i ratti!*

*Densa di corvi e di cornacchie schiera  
crocida per il cielo... e gran paura  
infondono ai volatili e sterminio  
cieco di morte!*

*Te, che rifugio sei d'amica e madre  
ogni uccelletto cerca, e su te canta  
l'arguto passerotto e galeata  
l'allodoletta...*

*Nel pieno sol di splendida giornata,  
di fiore in fiore raccogliendo il miele  
mormoran le api, con le rossegianti  
tue coccinelle.*

*A notte, dalla selva il rosignolo  
manda il suo pianto a fiotti; dalla torre  
caro a Minerva, il gufo, senza fine  
spande tristezza!*

*Da te le mosche vadano lontano  
con le feroci vespe e i calabroni...  
Orni i fioriti rami la famiglia  
della farfalle.*

cetera insecta (at minime molestas  
quae meum rumpunt cerebrum cicadas)  
lene te circum volitantia audi  
comis et acci...

Audies, arbor, tenebras per altas,  
aut diu, vivens, animas querentes  
quotquot in pago fuerunt, futura et  
tempora ducent;

quique nunc adsunt vigiles coloni  
quae tuam veram tiliae magistrae  
ad scholam natura docet, per usum  
discere possint:

fastus ut tantus modo te sequatur,  
divites rami innumeri ut creentur;  
ex solo radix vaga sed profunda  
erudit illos!

Cum cadit Titan subiturus undis,  
in tuis densis latitans latebris,  
dulce pennatum caput atra semper  
sylvia cantet.

Te meas lauros tacite alloquentem  
atque buxetum viridans in horto  
somniaans fingo mihi per quietem  
noctis amicam!

Dum meae vires minuuntur omnes,  
in dies truncus tibi convalescat,  
quamdiu ostendat sua quae videmus  
rudera pagus.

Vive, dum stellae rutilent per aethram,  
(omnibus plantis licet occidendumst):  
vae mihi!... non, te moriente, vivam,  
cara, precabor!

Te mihi aequalem, teneram gemellam,  
teque reginam valide decoram,  
teque felicem moriemur omnes  
adspicientes!...

Ogni altro insetto (on già le cicale,  
che a me il cervello eternamente rompono!)  
cortese ascolta intorno a te volante,  
e a te l'attira!

Udrai per l'alta tenebra notturna,  
o in pieno giorno le anime che furono  
fra le tue mura lamentarsi, e quelle  
che ancor saranno...

Quei che ora son, tuoi vigili coloni,  
alla tua vera scuola magistrale,  
o tiglio, quello che da te s'insegna  
apprenderanno:

e come tanto fasto a te procui  
nei ricchi rami, e sempre in maggior numero,  
dalle profonde tue radici sale  
l'insegnamento.

E quando il sole scende in seno al mare,  
e tra i tuoi densi rami ben nascosta  
spande sue note, più soavemente,  
la capinera,

a me sognante sembra che tu parli  
ai cari allori miei, ai verdeggianti  
bossi dell'orto, all'elce ad alla vite,  
la notte intera!

Or che le forze a me già tutte mancano,  
prego che il tronco tuo sempre più valido  
resti finché i suoi ruderi il villaggio  
mostri ai venienti.

Vivi finché scintillino nel cielo  
su te le stelle (benché tutte a morte  
cedan le piante!) Oh, ch'io non viva, o caro,  
se tu morrai...

Te, coetanea e tenera gemella  
pianta, e regina splendida cotanto,  
e te felice tutti noi, morendo,  
contempleremo!...

## GILDAE ASELLAE EPICEDION

Quae me per colles cauteque per arva ferebas,  
 pagi perque vias humiles et strata viarum,  
 quadrupedante etiam pede laeta nimisque tolutim  
 (ast ego saepe nates pressus tua frena coegi),  
 GILDA, jaces! Heu te miseram! Sol tertius, ecce,  
 te positam maestus spectat sub fluminis undis!  
 te tenet in limo coenoso fossa profunda  
 Vulturni...

Tumulo simili est acceptus in amnem  
 rex Alaricus, equo stans, et simul arma sepulta  
 barbaricos inter cantus...

Quam tristia vidi  
 quotque tuam lacrimis pompam sum, Gilda, secutus!

Post numquam positus villosa in tergo curram,  
 more triumphantis; tibi numquam gramina grata  
 ipse manu tradam! Miserum me! Morte repente  
 non ego credideram rutilo te fulmine tactam  
 casuram esse: mihi numquam medicabile vulnus!

Quae mecum semper fueras sociata labori,  
 vivas dum vivet, cui te committo, Camena:

Quam triste tempus nunc mihi feriae!  
 Hinc hisce nullus collibus aut viis  
 cantus volabit sibilusque  
 undique laetitiam ferentes.

Te morte rapta, Gilda, levaminis  
 sum factus expers; nam valeo minus  
 pondus viarum ferre: crura  
 saepe labant baculoque nitor.

Mecum memento quae fueris die  
 cum forte asellus (tam potuit Venus!)  
 est ausus attentare castum  
 ingenuumque tuum pudorem.

Quae tunc fuerunt in pedibus tuis  
 vires? Sequaci tu similis caprae,  
 tanti impetum fugisti amantis  
 ac nemoris latebras petisti.

Post, Gilda, demum tuta redis tua  
ad tecta, victis insidiis mali,  
    altoque per noctem ruditu  
    integra concelebras triumphum!

Nunc terra pressae sit tibi perlevis,  
cui ver refulsit bis decies nitens.  
    Si fessa nunc dormis, manebis  
    viva tuo domino mihique...

Non me sollicitat quae gloria tarda nepotes  
excitet atque meum possit diffundere nomen;  
numne juvet laudasse asinam et temptasse Camenas?  
Gratus at ipse tuas operas nunc dicere cogor,  
Gilda; juvat tacitum non hoc liquisse sepulcrum!

Saepe etiam mecum campos cum firma secares,  
si te forte gradus persensi, gramine tactam,  
velle tenere, manu demisi laetus habenas  
ut teneris agri foliis fruere aprici:  
paniculas placuit frumenti tradere magnas,  
exercere fuit quo mos tibi munere dentes  
et fauces implere avidas ventremque tumentem.

Inde ego tranquillo vultu stratusque per herbas  
carpere te sivi flores fruticesque novos,  
et malvam et cythisum... Velles quoque dulcia poma  
tangere, viticulas, pendentes undique botros...

Haec linquenda tamen mihi erant domino, inde saligna  
te virga jussi contentam finibus esse  
quos asinis natura dedit vetuitque aliena.  
His offensa malis, saliens, me terque quaterque  
tangere turpe solum jussisti ...Credere tantum  
quis possit, sua jura asinos defendere et ipsos  
et quae non sua sint sibi quondam haec sumere velle?

Si casu cecidi, tu, contra, immota stetisti,  
donec ego in tergis rursus componere sellam  
quam super et rursus potui conscendere et ire...

Os quoque jactasti subitum super obvia poma,  
quae tenere viam, ramos agitantibus austris,  
me quasi jactasti per terram ex impete facto!

Cara Rubinorum memorat te villula laeta  
sed mage te memorant natalia rura Toronis...

Te quotiens vidit pagus me PETRA ferentem,  
quae frumentorum est nimis altrix terra beata!  
Te quotiens vidit mecum pia PETRA MOLARIS  
et mons qui MAJOR, nebulis circumdatus, exstat.

ARX ROMANA videt nos cum duo tresve nepotes  
 ejus in hospitio valida curantur ab Arte  
 jure Machaonia, qua pagus splenduit usque!  
 Et de monte videt nos «nostra» SATICULA celso,  
 qui SANCTI FELICIS agros supereminet omnes,  
 per quos, Gilda, sonant rivi, sed inane sonabunt;  
 per quos herba fuit tibi; nunc tibi vana virebit!

Saxa per hirta soli natalis quam bene, asella,  
 olim vexisti me, perque pericula vitae,  
 inter spineti casus hominumque canumque.  
 Te duce, nullus erat mihi, Gilda, metusque timorque;  
 quid raedas actas, oleo crepidante, timerem,  
 cum vel equo currus, jam, raeda vel acta vapore,  
 sint asinis quoque nil nisi, nunc, puerilia tantum?...

Teque etiam generans «pipinellam» saepe videbat  
 collis, qui pulchrum «Moretellus» nomen alitque  
 praesertim Foenum tibi juniperumque perennem.

Saeptius et vidit Santus Nicander amoenus  
 collis te, pinis dives silvestribus altis,  
 lentiscis fragans, ramisque recentibus orni,  
 quos quacumque fuit semper tibi dulce vorare!

Gaudebas, hinc, irritare, poetria, cantu  
 PETRUM, si casu tecum contendere posset:

— *«En cantrix humilis cantorem noscere magnum  
 ipsa velim: cantum, PETRE, remitte mihi!*

*Sic PETRUS cantor cantabat «Io uror amore»;  
 dein cantrix latum, GILDA, retundis «io»!*

*Et PETRUS, cantans Sancti Felicis amatam,  
 pergit «io», flagrans cordis in igne sui.*

*Rursus, GILDA canis: (quasi dans promissa fidemque):  
 annuis ad PETRI pabula versus avens...*

*Ex nemore, est cui nomen «Fuscum», PETRUS amicam  
 accit amans, («GILDAM» vocis imago refert)*

*Num PETRUS vates est? Es ne poetria, GILDA?  
 —pabula testantur ...Majus et ipse magis!»—*

Quam cita robusto «PETRANO»... verba dedisti...  
 et Sancti Felicis, in illum saxa jacentes,  
 GILDA, videbaris pueros reprehendere diros:  
 scilicet ex PETRA pago te PETRUS amabat  
 sic, ut saxa suis tergis ceu frustula ferret!

— «Nil peccat, nisi amore, nil reusque,  
 extra qui proprium vagans ovile,  
 repente aggreditur furens amatam:  
 Romeo similis vorat voratque  
 viam, gloria, qui, decusque PETRAE,  
 GILDAM usque ad stabulum petit fugacem...  
 Leandro juveni magisque compar,  
 qui ABIDI patrias fugit puellas  
 et Herum subiens, aquas per HELLES,  
 jacet per mare mortuus profundum,  
 hero in quod cita se deinde jactat.  
 Eos vivificans Venus Maritat!  
 Curnam filioli soli paterni  
 mei saxa ferunt bonum in PETRANUM,  
 qui nolam sequitur furens amore,  
 et immo hinnit: *ioque... ioque... ioque...*  
*io!... (quadrupedans) io triumphe;...? »»—*

Nil valet ille PETRUS tecum contendere, GILDA;  
 si quis adaequaret certantes inter utrosque,  
 rude rudit PETRUS: GILDA, es philomela canora!...

Occidit ante tuam mortem qui pessimus auctor  
 PETRUS, nam frustra similabat se esse poetam...  
 Nunc nigra regna canit, quibus est dignissimus ipse!

GILDA, sed Elysiae valles nunc carmine amoeno  
 ecce tuo resonant, melius meliusque beantes!

PETRUS fuscus erat, tu vero argentea fulgens;  
 horridus ille canet carmine itemque colore...

Paullo, GILDA redi: montem qui Sancta Maria est  
 nomine, semper erit gratum conscendere tecum,  
 unde patent oculis carissima rura Toronis,  
 unde tibi stomachum mulcebat «medica» dicta  
 herba virens, hinc illinc, usque ad fluminis oras,  
 intra quas dormis ventura in saecula quiescens!

Tunc et aperta nigras nares protendis in illam  
 adspiciensque tuos torrentes unde bibebas...

GILDA memor, quotiens tiliae constricta fuisti,  
 donec ego huc illuc, carpens rutamque rosasque,  
 per spinas, pagi per rudera maesta vagabar?...  
 Praesertimque meae carpsi, per fracta cadentis  
 saxa domi, teneras «sponias», tibi fraxineasque  
 frondes atque thymos, tibi silvestresque myricas?...

Unda Vulturni, fluitans per oras,  
nunc tuum semper recinet sepulcrum;  
hinc tuo strident salices, genistae  
nomine, GILDA.

Quae tuis tergis tuleras puellos,  
deditum Musis et avum et nepotem  
Entium, Rinam Lyciamque, nostro in  
pectore vives.

Quae mei pagi, maculas ob illas  
pellis argenti variae colore,  
semper in vivis oculis manebis  
omne per aevum!

Prof. RAPHAEL PAONE  
Via M. M. Benavides, 5  
PATAVII (Padova) in Italia



# NAUSICAA ILLA...

*De nova ac lepida quadam Nausicae indolis et ingenii interpretatione, qua probari ac demonstrari vult quatenus recentiores mulierum habitus atque mores iidem atque veteres sint.*

Vetustissimus quisque mortalium cum temporis acti laudator<sup>1</sup> porro factus sit —amissa, scilicet, florentis suae aetatis memoria perspiciendique elapsa sibi sensim facultate—, omnia esse nunc alia ac fuere antiquitus sibimet persuasum habet nimioque animi candore imbutus laudat praeterita at praesentia incusat, primo quoque tempore id ultro dictitans severus —tamquam si perpetuam humani generis turpitudinem impudentiamque immunis expertus sit—, quae temere ac passim oculis omnium hodie subiciantur, ea omnia se puero conspici haud licuisse.

Censent enim qui sunt aetate admodum proveci, utpote qui a voluptatum lubricitate remoti miro quodam priscae integritatis desiderio teneantur, censent, inquam, alios ac prius exstare nunc mores, cum autem optuma quaeque ex innuptis mulieribus caste verecundaeque olim se gereret, nihil improbandum factitans, quin etiam pudicolor actutum fiebat, si eadem via pergens puer bene adfectus ipsam alloqui tantulum ausus esset, si brachia pavidae repugnantique amans attigisset, nedum amator vultum et ora permulsisset osculabundus, cum vero pleraeque hujus aetatis puellulae, etsi verecundiam simulare interdum conentur, nulla jam re utique erubescere queant, quippe quae maxumum ob morum licentiam improbulae, eheu!, jam factae sint.

Quid vero? Num est omnino laudanda pristina illa aetas, quam bene moratam tradiderunt, vituperanda adductius praesens, qua fruimur?

Minime! Cum enim quidquid horum attigeris fere ulcus sit, facere non possumus quin, re consentientes, a viris aetate provecis juvenes aliquantulum dissentiamus. Cur? — quaesiverit quispiam. Nimirum, quia recentiores ipsi «laudamus veteres —liceat utique his

---

1. HOR. *Ep. ad Pis.*, 173.

uti verbis quæ Ovidius pœta exaravit<sup>2</sup>—, sed nostris utimur annis». Enimvero aequalia omnibus omnia tempora numquam non sunt, quandoquidem ipsa Homeri aetate —ne dicam porro Dantis, qui in impudicas eas feminas acerbius contumeliosusque invectus est Florentinas, quae malacis crocotulis indutae in publicum «ostentantes una cum uberibus pectora»<sup>3</sup>, fufae!, prodirent—, quandoquidem ipsis, inquam, Homeri temporibus lapsam et amissam mulierum pudicitiam ac simplicitatem vetuli mussitantes etiam tum conquerebantur...

Sane, nihil novi in lucem proferre fuit in animo: vel potius omnes eadem atque olim animis mentibusque nunc sentimus neque vero est quisquam quin temporum suorum intentius acriusque quam praeteritae aetatis vitia animadvertat. Verumtamen puellae omnes —quod, eheu!, est valde dolendum— eadem atque apparent nunc fuerunt aliquando eademque semper erunt et ubicumque terrarum.

Cum ingeniorum specimina ex vita communi percipi deceat, quis non videt quantum levissima quaeque virginum dimidiatis minimisque tuniculis plerumque gaudeat, quo procacius ac speciosius illecebrosiusque suum exstet corpus, prout recens vestium est mos, quem necesse est minime vero esse diu mansurum? Etenim, si volubilia volumus vocabulis saecula comparare, hosce Quinti Horatii versus aptare licet ad rem: «multa renascentur, quae jam cecidere, cadentque / quae nunc sunt in honore *vestimenta*, si volet usus»<sup>4</sup>... Verum enimvero, quod nunc viget, id jam vixit et vicissim obsolevit: habitus cultusque crebro mutantur atque certo quodam temporis spatio recurrente mox iidem fiunt, in pristinum statum subinde redeuntes.

Quid mirum? Cum enim nihil sub sole sit novi, cum autem nihil prorsus suo statu in omne fere maneat tempus, en consequitur ut omnia vulgo eadem planeque similia exstent.

Ecquid? Tuniculae illae, quae magnam nunc movent admirationem, summo in honore nonne jam fuerunt? Nonne deinceps talaris manicataeque tunicae maxime sed paulisper placuerunt? Nonne exinde modicae in deliciis rursus fuere vestes, quae in usu esse jam desierunt, quemadmodum exigua vel potius succinctiora, nominibus porro tantum mutatis, iterum nunc vigent corporum tegumenta, quae parum velent velanda?... Quod attinet ad rem, quid nunc dicam de malacis patagiatisque iis Laconicarum virginum vestibus, quibus fuit nomen «phainomerides»<sup>5</sup>, quae contuentibus viris candida teneraque crura ac femora patefacere? Nempe, haud fuerit absurdum hoc quoque hic adicere, quod procacem quandam femellam, quae ultro

2. OVIDII *Fastorum* lib. I, 255.

3. DANTIS *Purg.* XXIII, 101-2.

4. *lib.* HOR. *Ep. ad Pis.* 70-1.

5. IBCI *fragmentum* 61: φαίνομηρίδες

exornans teretia latera multo magis conspici vellet, ad captandum hujusmodi illecebris locupletem colonum, Hesiodus poeta «pygustolon»<sup>6</sup> non illepide neque infacete vocavit.

Cum, scilicet, oculos animosque et cupiditatem virorum in se ultro convertere nitantur puellae, interulis pectora detegentibus indutae ac bracis vel exiguis curtioribusque feminalibus praeditae in publicum prodire solent, mollius putidiusque jactantes latera, saginatarum anserum instar...

En, quatenus haud bene se gerant virgines plerumque, id impudentiuscula illa nos docet puella —cujus ingenium et mores Gnaeus Naevius poeta loco quodam, qui exstat, illius togatae fabulae, quae «Tarentilla» inscribitur<sup>7</sup>, actuose effinxit—, scitulum illud, inquam, bacciballum, quod «quasi pila / ludens datatim dat se et communem facit. / Alii adnutat, alii adnctat, alium amat, alium tenet; / alibi manus est occupata, alii percellit pedem, / anulum dat alii spectandum, a laris, alium invocat, / cum alio cantat, at tamen alii suo dat digito litteras»...

Num igitur censemus veritatem et naturam esse parum a Naevio poeta servatas? Puellarumne mores praeter modum auctos verbis effinxisse Naevium censemus? Minime vero, hercle! Quodsi omnes omnium mores ab uno discere non licet, cum plane eadem non sit universis mulieribus ratio nec libido, tamen, quia de corruptis pravisque feminarum moribus haud perpauci poetae acerbius scripsere, tragoediis vel satiris plerumque usi —ut Euripides, ut Pacuvius, ut Junius ille Juvenalis, quos ego silere potius puto, quam ea ancillis et janitoribus haud ignota nunc referam—, consequitur ut inverecundae ac protervae, nisi omnes vulgo et in universum, saltem pleraeque fuerint puellae.

Si quis autem usque adhuc sibi parum persuasum sit, meis subdiffidens dictis, en antiquiore quodam ad persuadendum apto nunc usus exemplo, quod prius in mentem nemini umquam venerit, certam verissimamque illius Nausicae indolem ultro aperio et enuntio, firmis gravioribusque fretus argumentis, quae refelli utique non possint.

Num quisnam Nausicae illius oblitus est, quam inclutus cecinit Homerus? Nempe, memoria excidere prorsus non potest Nausicae imago, si quis semel vel negligenter strictimque legerit sextum ejus, quod «Odyssea» inscribitur, carminis librum: ante oculos legenti simplex et proba et pudica et candida virgo obversatur Nausicaa, viros nondum experta, petentes plane aversata, quippe quae, bene morata ac morosa, actutum erubescat si quis coram parentibus in

6. HESIODI *Op. ac dies*, 371: πνγυστόλον.

7. ISID. *Etym.* I, 26, 2.

nuptiarum mentionem incidat, nedum juvenem quendam significet, qui amore captus eam proclitum venerit...

Agite, vero, non est ita prorsus! Ne credideritis Homero!... —fremant omnes licet, proferam quod sentio, nihil veritus ne me impium compellant vel Homeromastiga quendam—, nolite, inquam, iis confidere quae de candido Phaeaciae virginis animo bonus protulit Homerus, honestam mulieris speciem et imaginem exprimere, at nequiquam, conatus, quandoquidem inscius, nedum sibi parum constans, Alcinoi regis filiam reapse impudicam eandemque inscitulam inducit, protervam inducit ac versutam... Ecquid? Num candida et simplex est ea appellanda quae haud socus ac puella quaedam male morata se gerat, quae accito pudore erubescere valeat coram populo, quae simulato animi candore, insipientibus parentibus, modeste parens loquatur?

Medius fidius!, quid mulieris sit Nausicaa nunc animadvertite, Maeonium carmen iterum pervolutantes, miniatulis meis cerulis in-nisi, qui paginam legitis meam... Ohé!, cur me constricta spectatis fronte? Quid censetis? Communem ipse neque veram dumtaxat a vestris mentibus oculisque radicitus excuti volo opinionem, vera a falsis sine ira et studio dijudicans, tamquam caligine dispulsa. Rur-sus, heia!, inspicite mecum quae fuerit mera veraque Nausicae indo-les ac natura.

Cum vestes lavandi causa ad fluminis ripas se contulisset Nausi-caa, postmodo, confectis laboribus, prius animum relaxare paulisper-que sibi indulgere voluit, quam curru recepta domum rediret. Ec-quid? Nonne decebat regis filiam apricari gestienti laetitia elatam? Nonne se delectare ludo? Sane quidem, nihil prorsus dedecebat! Pila se igitur tum oblectabat Nausicaa, exultim ludens cum aequalibus ancillis, siquidem populare ingenium sibi erat. Repente accidit ut virum conspexerit dormientem... Quid vero? En, quemadmodum pro-terva illa Lesboa pupula, versicoloribus soleis induta, quae, aurico-mo Aphrodites duce<sup>8</sup>, Anacreontem purpurea pila ictum lacescit, ita eum virum, qui in litore stratus miranti mirus apparuit, quantus et quam validus, haud incerto pilae ictu excitatum, duce quidem Miner-va glaucis pollente oculis dea<sup>9</sup>, Nausicaa illicere conatur.

Perpruruscit virgo et vetitum nefas quoddam nunc gustat, nimis laetata quod procul a domo, e parentum conspectu omniumque civium ab oculis remota, una cum viro quodam peregrino versetur, fami-liariter alloquens ipsum, omnino sibi ignotum, qui fulgenti nobili-que ore insignis idemque admodum juvenis neque illepidus videtur optumisque moribus imbutus, nisi forte, scilicet, prima specie falli-

8. Fragmentum quod nobis ab ATHENAEO (XIII, 599<sup>o</sup>) traditum est.

9. Z, 115.

mur... Quis scit an certa uxoris ducendae voluntas sit ei ipsamque sibi desponsum peregre venerit ille, si quid forte de Alcinoi regis filia audiverit praeclarum?

Qui redeunti domum Nausicae se comitem nunc adjunxit, Ithacus ille Ulixes —Odysseus graecanice dictus quod facilis sit suscensu<sup>10</sup>—, ei haudquaquam venit in mentem leviori obsequi femellae nec quicquam imprudens professus est, quod certum caritatis in eam indicium et argumentum conjectari possit, tamquam si primo obtutu deducentem et incaute prosequentem Nausicaan tum amascere visus sit.

Quid enim? Cum Laestiadae Ulixi mos fuerit comiter et officiose se gerere, nullo obsequendi consilio tum etiam usus, haud gravatim iter ille facit una cum ineptiore virgine, cujus ego haud scio an species ac forma talis fuerit, qualem caecigenus cecinit Homerus: quin etiam nec recto corpore praestantem effingere animo licet Nausicaan nec minimo naso praeditam nec bello pede nec longis digitis nec nigris ocellis neque sicco ore... —quae omnia, demum, eximiae ac summae pulchritudinis praecipua sunt puellis usquequaque, Catullo quidem auctore<sup>11</sup>—, immo vero forma mediocri, aetate non mediocri. Non dubito, enim, quin adulta prorsus et languescens quaedam fuerit virgo, vara et improcera, blaesa quodammodo et loquacula, illepida et importuna... Etenim est vix credibile eam adeo esse spretam et neglectam ab Ulixo, qui oppido mulierosus cum esset, novam quandam profecto haud praetermisisset occasionem, si paulo venustior virgo illa fuisset... Sin aliter, cur fastidium quoddam perspicienti viro fervida movisset Nausicaa? Cur exosculatus, cur amplexus eam ille non esset? Cur satis propensam ac pronam blanditiis in stuprum non illexisset? Quia, nimirum, ut hinc intellegere licet, regiae puellae vultus tristis et injucundus exstabat. Quodsi affabilem Ulixes se erga inscitulam virginem primulum praestavit, idcirco —mehercules!— existumandum est, quod illam praeclari regis filiam alloquens reverentia quadam ultro affectus erat, utpote qui in omnes mulieres, qualescumque, officiose et urbane se gerere soleret, tanta ipsius cum utique esset humanitas!

Quorsus igitur tam multa, siquidem longe alia Ulixi tum erat mens? Quid plura, si frigidum ac lentum, si tam socordem ac minime cupidum in diligenda Nausicaa Homerus ipse Ulixem effinxit?

At redeo ad propositum.

Cum autem sibi aliquid videatur quod sane non est<sup>12</sup>, mente et cogitatione rem depingens, falsa atque inani spe frustratur Nausicaa,

10. Cfr τ, 407-9.

11. CATULLI *carm.*, LXXXVI, 4; XLIII, 1-3.

12. Cfr 2, 240-5.

impudentiuscule ac petulanter se gerens, haud secus ac meritoria quaedam puella.

En quo melius effici possit ut intellegat vir adesse jam tempus profitendi se amore captum esse Nausicae, callidum consilium censet ilico adhibendum: admodum sollicitam se esse profitetur, tamquam si nunc de fama sua pertimescat, ne omnes, qui verendae regis filiae occurrerint pulchello comitante hoc viro, nunc demum maledicere audeant<sup>13</sup>, itemque adsentantiuncula quadam, haud per ambages, veluti imprudens et incallida prosequitur Ulixen, significandi gratia quatenus ipsum amare coeperit, adeo ut malivolorum obtreptionibus nunc se obicere primum audeat segura, famae periculum se adire patiens: «Quisnam est peregrinus iste tam pulcher ac procerus, qui Nausicae iter comitatur?»<sup>14</sup>... — hoc, occupat virgo, dixerit quispiam, ambos una euntes comiterque colloquentes remotis ancillis conspicatus, quia, more majorum, minime decet puellam una cum viro solam ambulari...

Quid vero tempestiva viro sibi velit puella versutus ille vir recte perspicit atque intellegit: at, nihil mutato vultu ire pergens, iniquo animo aures blandiloquentulae praebet Nausicae, quae, simulationis artificio imbuta, urget et instat, pariter gerens gradum: «Ubinam gentium istum illa nacta est peregrinum? Est quidem ei sponsus...<sup>15</sup> — omnes ferme ita dicent confidentiloqui.

En verbis strenue et acriter batuens collineare conatur muliercula (gladiatoriae artis haud sane peritam certe dixeris!). Illatos autem sibi ictus caute et prudenter sustinet adversarius, qui, veluti durior ingenii, quid significaverit virgo se minime intellexisse simulat, non quin probetur externa, qualiscumque, venus (multivirae enim Circes lascivaeque Calypsus oscula numquam is effugit multivolus), sed quia regiae isti mulieri, utpote quae nubilus sit, nedum invenusta, irritam nuptiarum spem afferre non vult, etsi officiose ac benignitatis causa ipse honore quodam verborum eandem nuper affecerit, omnium Deorum, quae pedibus magnum pulsant Olympum, cuiquam similen esse profatus, quin etiam Artemidi ipsi, pulcherrimae Optumi ac Maximi Jovis filiae, blanditurus utique comparavit<sup>16</sup>.

Obmutescit igitur Ulixes, quamvis secunda loqui in tempore suetus, nec vero id profitetur, quod jamdudum confitendum erat: caelebem sese jam non esse, legitima dilectaque conjunx, Penelope illa fidelis, cum adhuc sibi sit domi..., nisi forte, post decimum annum quam ipse discesserat, interea decessisset...

13. Z. 273-4. Cfr. ipsum MUSAEI pœmation, quod *Hero et Leander* inscribitur.

14. Z, 276-7.

15. Cfr *ibidem*.

16. Cfr 150-1.

Nescio tamen an eam talia dicentem, quae supra protuli, audire cupiat vir, curiosulus vehementerque miratus quatenus regia illa virgo, injucundioribus oris lineamentis conspicua, amore Ulixis corripiatur, qui ceterum erat ne pulcher quidem ipse, non formosus, tantum facundus<sup>17</sup>. An censetis idcirco eum reticuisse, quod hujusmodi rei periculum ne abnuere quidem sibi voluerit, utpote multa expertus vir idemque sui nusquam oblitus? Minime vero! Quin etiam, mehercules!, ita prorsus sentio ac pro certo habeo, id sibi Ulixen, contracta cupidine, tunc imperasse, quod maxumum sit imperium viris: parcere simplicitati, temeritati atque inconsiderantiae virginis parcere... Quid enim? Si tantulum Ulixes iis patefactis amoribus commotus esset, si collibuisset... — ea, scilicet, condicione, ut paulo venustior exstisset puella... Nempe, pulchram formosioyemque quandam virginem fuisse Nausicaan iterum atque iterum nego...

At candidis brachiis praedita ea puella, mundioribus vestibibus induta suavioribusque uncta odoribus, tamquam ad summan desperationem adducta, cuius adminiculo pedes et manus adnectens, quae garruli petulantesque linguis dicere possint oppidani, ea praefari pergit porro: «Estne deus quidem iste —inquit—, jam pridem exoptatus, qui de caelo cum descendisset, obviam venerit ei multum precatae, eandemque in perpetuum, per longam dierum seriem, tenebit?... Satius est ipsam venatam nantamque esse adventicium maritum, quandoquidem istos illa ejusdem suae gentis despicit Phaeacas, qui frequentes iidemque nobili loco ipsam appetunt uxorem... Ita dicent, eheu!, mihi autem talia contumeliae erunt verba. Ceteroquin, cum alia et ego suscensuerim puellae quae talia factitaverit, quae una cum viris in publicum prodierit, invitis parentibus qui vita adhuc fruuntur, priusquam sint ipsius nuptiarum sollemnia rite celebrata...»<sup>18</sup>.

At callidus et multiplex in virtutibus ille vir, multarum rerum usu praeditus, nihil miratur neque prorsus movetur quod mulier quaedam, quin etiam ipsa regis filia, verecundia illa et natura virginum paene neglectis, hujusmodi studium in eum et amorem ultro fatetur: suum ipsius animum nequaquam titillari sentit, id cum satis exploratum sibi videatur, quod jamdudum intellexerit, quippe quae omnia fucata et simulata a sinceris verisque discernere valeat, nullo certissimi amoris cupidine Nausicaan esse affectam, at prurigine ac petulantia quadam, at lubidine nimiaque cujusvis mariti cupiditate, at miro quodam voluptatis experiundae studio vehementique animi ardore eam adeo permoveri, ut pudicitiam illam prudentiamque de virgineo animo, invita Aphrodite, actutum dejecerit.

17. Cfr. librum qui «*Ars amatoria*» inscribitur, 123.

18. Z, 280-88.

Siquidem, pol!, «quae vult videri bella nimis», ut apud Publilium Syrum scriptum videmus <sup>19</sup>, ea «nulli negat», nempe, Nausicaa nemini nunc negare videtur: est qui hoc non intellegat? Eheu!, nefas, istucine delabi et inclinare regia potuit suboles? An reapse amascere illam dixeris?

At mirifico quodam affectus taedio omnivagus ille pedetemptim iter pergit vir, futilem vi continens linguam, utpote lingua quam manu promptior, nec quicquam respondit cautus ac prudens hujusmodi femellae responsum referre cupienti garrientique nimis.

Quid igitur? Secum ille forsitan id volutet, si forte quidam ex repulsis contemptisque Phaeacum procis foret ipse, crispam promissamque caesariem arroganti virgini se omnino ac radicitus tonsurum esse, quo plenius meritas sordidae repulsae poenas ab ea peteret petulcus, quandoquidem Nausicaa haud secus se gerit ac pleraeque puellae, leviores quodammodo neque ingenuae, quae simulata quadam modestia ac verecundia id popularibus suis recusarunt, quod externis juvenibus, nedum militari ornatu indutis, haud invitae concessere.

Ventum est, interea, ad suburbana loca, haud procul a regia domo.

Consistit tum repente Nausicaa, quasi lacrumans ita balbutit, comitem allocuta: ne quis Alcinoi filiam una cum peregrino viro conspiciat redeuntem, oportet nunc singuli eant, haud brevior interjecto spatio, sin aliter —quod optumus quisque caelicolum avertat!— impudens ac facilis ad concedendum ipsa exinde cluebit ejusque nomen ac nobilitatem familiae, si tantulum fuerit rumoris, qui pronis auribus vulgo accipitur, eheu!, in aevum omnes polluent... Si id vero innotuisset quod actum erat, hoc, quamvis ignoscendum, in offensionem civium peccatum cecidisset... Proinde, praegrediatur Ulixes —ita jubet Nausicaa, veluti mediis in fluctibus paene moritura—, pergat ire. Mox luculentissimum Minervae lucum ille nanciscetur, juxta semitam frequenti populeto saeptam; fons quidam exstat illic, pratum quoddam porro circumjacet. Ibi patet Alcinoi regis praedium uberrimusque olitorius hortus, qui tantum distat ab urbe, quantum, si quis clamet, ipsius exaudiri inde possit vox... <sup>20</sup>.

Singulis locis tam diligenter designatis, ne aberret Ulixes quadammodo a monstrata digito via, ita prorsus Nausicaa persequitur hortando: «Ibi manens sedeto donecum videbis me carpento vehementem domum venisse» <sup>21</sup>.

Sane quidem, magna patientia nunc opus est! Veruntamen, qui

19. Cfr PUBL. SYR. *fragmentum* 26.

20. Z 291-94.

21. Z, 295-6. Versibus tamen ipsis hic usi sumus, quibus Homericum LIVIUS ille ANDRONICUS convertit sermonem. Cfr. *Charis.* 256 B.



multa aequo animo usquequaque pertulit aspera<sup>22</sup>, jampridem cum aliquid frustra exquisiverit quo nitatur, is vero est jam in eo ut patientiam illam denique abrumpat, quandoquidem mulieres sibi minime probantur quae, cum imprudenter absurdeque se ultro gesserint, exspostulent cum viro de injuria quadam, quam ille inferre in animo minime habuerit: fortuitus enim sermo vel subitus occursum vel brevis ambulatio cum fatua nedum invenustiore femella, tamquam si incautam callidus blanditiis inescare et voluptatis illecebris alliceri lubenti animo conatus sit, nemque! pro inceptae corruptelae crimine accipi non licet... Quae calamitas, mehercules! Haec mera impudentia est! Pro deum hominumque fidem!, quid vult, quid appetit, quidnam postulat! haec, quacum innoxie, haud remotis ancillis, invitus ipse tantummodo spatiatus est, tantillum itineris conficiens, cum nihil quicquam probrosi, nihil illiberale in sermone temere injecerit, nulla demum conubii facta mentione, ipsius manu ne leviter quidem tacta? An est utique metuendum, contra ac primo ratus erat, ne quid exigat virgo ad reparanda laesi nominis damna, quamquam ipsa, haud secus atque improbula quaedam ambulatrix, advenae lateri adhaesit ultro?

Talia cogitanti, quamvis impavido, Ulixi iterum «cor frixit prae pavore»<sup>23</sup>.

Extremum quidem experiri cupiens, id potissimum Nausicaa censet moliendum, si quid proficere possit: quomodo nunc saltem efficiat ut pristinam famam et gratiam conciliet sibi, ne peregrinus ille vir praestantissimus ac sidere pulchrior, prout cunctus aspicitur, de ipsa male jam existimet...

Ad obliteranda ideo iniqua de se iudicia, quae profecto illum mente concipere potuisse censet, dictis hanc vocem postremo addit Nausicaa, amore saevo saucia, superbo autem, quod maximum est, et insolenti ore praedita, suadendi vi denique confisa: «Tu percipe mente, o advena, quae dicam, ut a patre meo quam primum impetres omnia, quae ad reditum tibi necessaria. Perge ire, agedum! Ubi autem domum et atrium intraveris, quam ocissime ingredi cavaedium, ut in conspectum matris dare te possis meae, quae apud focum sedet, ignis fulgore laeta...»<sup>24</sup>.

Extremam quandam et ultimam sibi speculam nunc subesse censet virgo: quis scit an de reditu colloquium expetenti Ulixi serentique cum matre, quae in solio graviter sedet, illud repugnanti exprimatur studium petendi sibi uxorem Nausicaan?!... O, utinam peregrinus ille, tanta oris majestate praeditus, ad ipsam ducendam

22. HOR. *Epist.* I, 2, 20-1.

23. SERV. *Auct. ad Aen.* I, 92.

24. Z, 289-09; 303-5.

in matrimonium mox adducatur! Quod ad se attinet, Junoni reginae ac tenerae Aphroditae votivum quoddam donum se praebituram esse pollicetur, si praestantissimo huic viro propediem nupserit...

Secum haec reputans, vel saltem alia cogitatis istis similia, quae bonus ac nimis frugi omisit Homerus quaeque ipse ceteris «Paralipomena» quaedam scripturis relinquo, mulas ocioribus pedibus instructas vidua illa ac virosa verberat virgo, virum inobsequentem sibi in libertatem paene vindicans.

Prof. HUMBERTUS DE FRANCO  
Via del Velo, 13  
CATANAE (95124 Catania) in Italia

# DE ALIQUOT POETIS LATINIS

## XVIII - XIX SAECULI

AGNOLETTO Angelus (1745 - 1831), Noventanus.

Noventae Patavinae obscuro loco a. d. III Nonas Novembres anni MDCCXLV in vitam venit. Qui quidem septem per annos grammaticam atque humaniores litteras tradidit juvenibus in sacro Patavino Ephebeo, in quo ab anno MDCCLXXIV usque ad annum MDCCLXXXIV Sacras Litteras amoris mentisque acie docuit, deinde viginti per octo annos, id est ab anno MDCCLXXXV usque ad annum MDCCCXIII, dogmaticam. Speculum tacitae egestatis fuit, placidae modestiae, tranquillae dignitatis, in scribendo ac loquendo puri nitoris, in dicendo ubertatis et copiae. In vultu ejus quaedam honesta praenitebat dignitas: quae in pertractando mollitudo humanitatis! quae in dicendo ineffabilis lenitas! Ingenio eminenti adjunxit decus omne virtutis, quam ob causam in honore fuit semper magno apud omnes. Musicam, cujus peritissimus fuit, summopere dilexit: nam symphoniacis notis animus ejus recreabatur atque ad caelestia desideria ferebatur. Patavii a. d. VIII Idus Augustas anni MDCCCXXXI a vita discessit.

Carmina:

1): *De missa Valottiana, quae vocatur «De Requiem»*; - *Elegia (Patavii, 1828)*; 2): *De Musice Valottiana*; - *Elegia (Ib., 1828)*.

AGOSTINI Stephanus (alias: «Agostinetti») (1797 - 1877), Enicensis.

Enici (in agro Vicetino) humillimo loco natus a. d. XI Kalendas Majas anni MDCCXCVII, studiorum causa commoratus est in sacro Patavino Ephebeo. Recens sacerdotio initiatus, in Rhodigino Seminario philosophiam brevi tempore docuit, quia Vindobonam se contulit, ut ecclesiasticam doctrinam suam ibi perficeret. Anno MDCCCXXVI domum rediit et in Patavino Athenaeo artem explanandi Sacras Scripturas ac graecas litteras tradidit. Professor emeritus fuit atque annum tantum illius celeberrimi Athenaei rector magnificus. Erant in eo festiva quaedam jucunditas ac peracre ingenium: vir summa doctri-

na et magno consilio praeditus. Patavii a. d. VI Kalendas decembres anni MDCCCLXXVII vita cessit.

Carmina:

1): *De Soriensibus ignivoma manuballista transfossis*; - *Elegia (Patavii, 1948)*.

AGOSTINI Stephanus (alias: «Agostinon») (1790 - 1856), Enicensis.

Enici (in agro Vicetino) agresti ac pia domo a. d. XIX Kalendas Septembres anni MDCCXC ortus est. In sacro Patavino Ephebeo studiis alacriter operam dedit, ut Christi minister fieret; postquam presbyteratum sumpsit, litteras graecas, latinas ac doctrinam elegantiae recte intellegendi in sacris illis aedibus docuit. Ab anno MDCCCXLVIII usque ad annum MDCCCL studiis praefuit in Patavino Seminario, in quod semper perfervido amore flagravit. Pietate, doctrina, consilio spectatissimus vir fuit, litteraturae latinae princeps, civitatis ornamentum atque omnibus flebilis, pauperibus flebilior. Edaci cancro consumptus, Patavii Nonis Sextilibus anni MDCCCLVI ex vita migravit.

Carmina:

1): *De praecipuis moribus et usibus Septem Communium*; - *Poematum (Patavii, 1851)*; 2): *Angelo Fusinato Concordiensis Ecclesiae regimen suscipienti*; - *Elegia (Patavii, 1851)*; 3): *In funere Vincentii Scarpa*; *Carmen imparibus modis factum (1854)*; 4): *Mundi Victima cruci affixa*; - *Ode glyconina-asclepiadea (Ib., 1882)*.

BELLINI Bernardus (1792 - 1876), Griantensis.

Griante (in agro Comensi) a. d. VI Kalendas Martias anni MDCCXCII tenui sed integro loco natus est. Qui quidem apud Ticinense Athenaeum juris gradum dignitatemque meritus est, sed, Minerva favente, ad studium graecarum litterarum se contulit. Humaniores ipse litteras in Comensi lyceo docuit, deinde anno MDCCCLII Carali eloquentiae industrius praeceptor fuit. Perspicaci ingenio vir praeditus, arte italica grammatica clarus fuit atque latinitatis bonus poeta. Augustae Taurinorum a. d. XIII Kalendas Apriles anni MDCCCLXXVI animam suam deposuit.

Carmina:

1): *Perippopaedia, seu de equo*; - *Poema heroicis versibus exaratum (Cremonae, 1817)*.

BONATO Modestus (1812 - 1902), Axiliensis.

Axiliaci humili genere ortus a. d. VII Kalendas Martias anni MDCCCXII, grammaticam ac graecas latinasque litteras decem per annos diligenter docuit. Ab anno MDCCCL usque ad annum MDCCCLVIII Patavii in PAPAFAVA domo domesticus praeceptor fuit. Qui quidem, cum infirma atque aegra valetudine uteretur, in vitam privatam se concessit vivendo sobrie in domestico otio. Vir frugi fuit ac litteris graecis latinisque eruditus. Patavii pridie Kalendas Decembres anni MCMII, senectute confectus, supremum diem obiit.

Carmina:

1): *Nobili admodum juvene Aemilio Brunelli et ornatissima puella Elisabeth Vanzetti nuptias sollemniter celebrantibus*; - *Elegidion (Patavii, 1879)*; 2): *Populi Septem Communitum, vulgo Cimbri, Episcopo Callegari Patavinae dioecesis regimen suscipienti gratulantur et sibi gaudent*; - *Elegidion (Patavii, 1883)*.

BOZZATINI Hieronymus (1779 - 1860), Plovensis.

Plove de Sacco (prope Patavium, comitali familia a. d. XIV Kalendas Majas anni MDCCCLXXIX natus, in sacro Patavino Ephebeo latinas ac graecas litteras multos per annos peritissime tradidit. Qui quidem nitorem ac venustatem in solutis orationibus atque in carminibus expressit. In vultu ejus enitebant continenter dulcedo cordis, pulchritudo animi ac quaedam, ut ita dicam, placida tranquillitas et grata suavitas, ut multis viris, quibus familiariter utebatur, carus fuerit. Integra valetudo fuit ei usque ad extremam senectutem. Patavii a. d. X Kalendas Decembres anni MDCCCLX exacta aetate extremum spiritum suum effudit.

Carmina:

1): *Liber carminum*.

BRAUS Joannes Antonius (alias: «Fontanarosa») (1772 - 1823), Thienensis.

Thiene (in agro Vicetino) humili genere natus est a. d. IV Kalendas Martias anni MDCCCLXXII. Qui quidem, cum septimum decimum annum ageret, in sacrum Patavium Ephebeum ingressus est, in quo, Christi sacerdos creatus, grammaticam deinde humaniores litteras ac rhetoricam docuit. Anno MDCCCXV, ob tenuissimam valetudinem, sacras Patavinas aedes reliquit et Romam, apud Sodales Societatis

Jesu, se recepit, qui quidem ei suaserunt ut in tranquillum viculum, vulgo Galloro nuncupatum, se conferret valetudinem perditam confirmaturum. Politiorum litterarum doctor ac magister fuit. Vergiliano quodam colore carmina sua depinxit. Gravi morbo adfectus, apud Sacrarium Gallorii a. d. VI Kalendas Septembres anni MDCCCXXIII in pace Christi requievit.

**Carmina:**

1): *Amor conjugalis*; - *Hexametri (Patavii, 1808)*; 2): *Elogia Gualphardo Rodolphio Ariminensi Episcopatum ineunti (Veronae, 1808)*; 3): *Hierosolymae excidium*; - *Carmen hexametris exaratum (Patavii, 1824)*; 4): *Mater militaris conscriptionis periculo liberata unicum, qui superest, filium adloquitur*; - *Elegia*; 5): *De Patavino Canovae monumento*.

**Poeticae Conversiones:**

1): *Vincenti Monti: Jerogamia Cretensis (italice: «La Jerogamia di Creta»)*; - *Alcaica ab Joanne Antonio BRAUS latinis versibus translata (Cremonae, 1810)*.

BRIGENTI Andreas (1682 - 1750), Agnensis.

Aгнаe (in agro Patavino) tenui atque agresti loco a. d. VIII Idus Majas anni MDCLXXXII ortus est. Humaniores litteras in Patavino Seminario docuit. Qui quidem cum parochiali munere brevi tempore functus esset, anno MDCCXIII Romam se contulit veluti Burghesii Principis liberorum domesticum praeceptorem. Erat ille siquidem candidis plane moribus et mente ingenua. Praedicabat quae acceperat beneficia, ab ingrati animi vitio abhorrens. Litteratus ipse numquam studuit litterati hominis famam quaerere ac se spectabilem reddere, ab omni ostentatione remotus. Splendida in domo ac paene regia ita vixit, ut minimum sibi tribuerit: christianae religioni prorsus semper addictus. Venetiis anno MDCCL in pace Christi obdormivit.

**Carmina:**

1): *Villa Burghesiana, vulgo Pinciana, poetice descripta*; - *Carmen hexametris exaratum (Romae, 1716)*.

CESAROTTI Melchior (1730 - 1808), Patavinus.

Patavii nobili sed corruto loco natus Idibus Majis anni MDCCXXX, in celeberrimo hujus urbis Seminario, quamvis tantum ordines mi-

nones ei collati essent, artem dicendi docuit. Anno MDCCLXI Venetias se contulit veluti domesticum praeceptorem apud GRIMANI domum; deinde anno MDCCLXVIII Patavium revertit, in cuius Athenaeo litteras graecas atque hebraicas, quibus doctus erat, egregie atque exsculpte docuit. Academiae scientiarum, litterarum artiumque socius emeritus fuit. Acuto ingenio atque animi alacritate floruit. Aetatem suam in litteris, quas summopere illustravit, egit. Patavii excessit e vita pridie Nonas Novembres anni MDCCCVIII.

Carmina:

1): *Hymnus in Gratiam*; 2): *Hymnus in Dianam*; 3): *In grammaticos*; 4): *In Homerolatrias*; 5): *In homines histriones*.

CHILESOTTI Valentinus (1761 - 1814), Thienensis.

Thiene (in agro Vicetino), non magno quidem, sed copioso atque amoeno loco, pridie Kalendas Julias anni MDCCLXI ex honestissima et spectabili familia natus est. In Patavina domo juventuti in spem Ecclesiae instituendae summo studio in litteris atque in sacra Theologia versatus est. Christi sacerdos creatus, ab anno MDCCLXXXIV usque ad annum MDCCCIII in Patavino Seminario sacra dicendi praecepta sacricolis tradidit. Inerat in eo praecipua quaedam naturae bonitas, acre ingenium et experrectum, mira intellegendi celeritas, amplissima vis memoriae, praefervida et exsultans imaginandi facultas, quarum rerum veluti signa quaedam et vestigia in vultu ita praenitebant, ut animos alliceret et ad benevolentiam conciliaret. Gravi morbo et mortifero adfectus, Patavii a. d. VII Kalendas Martias anni MDCCCXIV ex hoc saeculo migravit ad lucem.

Carmina:

1): *Fidei triumphus*; 2): *De Patavini Seminarii typographia*; 3): *Inter duos pastores senes*; - *Ecloga*; 4): *Ad Mariam Virginem stantem ante crucem*; 5): *De Flaviano episcopo, qui Theodosii imperatoris iram compescivit*; - *Elegia*; 6): *De Philippo Nerio in exercendis misericordiae officiis*; - *Carmen epicum*; 7): *De immaculato Deiparae conceptu*; - *Carmina*; 8): *Supplicium Danielis levitae Patavini*; - *Ode asclepiadea glyconia*; 9): *Joanni Natio Episcopo Brixienti*; - *Epigramma*.

Poeticae Conversiones:

1): *Oratio Jeremiae Prophetae latinis carminibus expressa*.

COLETTI Joannes Dominicus (1726 - 1798), Venetianus.

Venettis nobili loco natus a. d. V Kalendas Octobres, ab adolescentia Ignatianam Societatem Jesu secutus est. Recens sacerdotio initiatus, Quitum profectus est, qua in urbe multos per annos christianae religionis propagator fuit. Qui quidem, cum sodales societatis Jesu ab Aequatoria regione pulsati essent, domum revertit, ubi multis viris eruditis aetatis illius familiariter usus est. Mitis corde ac praeclaro ingenio fuit. Rerum ecclesiasticarum plura volumina edidit. In patria sua mense decembri anni MDCCXCVIII de vita decessit.

Carmina:

1): *Triclinium Opiterginum. - Ad Julium Bernardinum Tomitanum carmen dicatum (Venetiis, 1794)*; 2): *Carmina latina.*

COSTA Joannes (1737 - 1816), Axiliacensis.

Axiliaci humili loco natus a. d. VIII Idus Majas anni MDCCXXXVII, humaniores litteras in scholis primum externis docuit, deinde studia humanitatis ac litterarum in Patavino Seminario coluit, in quo Christi minister sacratus est. In celeberrimo illo sacro Ephebeo graecae et latinae litteraturae professor emeritus et regiae Academiae socius fuit. Rhetoricam postquam tradidit, politiora graecae latinaeque litteraturae studia in schola Academiae professus est usque ad annum MDCCXCI. Onus impositum ei fuit illustrandi opera Pindari versibus latinis. Ut vero sibi liberi temporis ad scribendum satis esset, scholae vacationem obtinuit. Ingenium ejus exire potuit ex angustiis umbratilis palestra ac, ut ita dicam, per vastum naturae regnum libere pervolitare. Rerum naturae admirabilium sagax fuit investigator atque rerum et imaginum verissimilium machinator atque effector. Carmina ejus molli numero et quadam gravitate fluunt. In rebus humanis ita incredibili cordis simplicitate erat atque perspicuo candore, ut in diebus suis placuerit Deo atque amicis gratus fuerit. Patavii paene repentina morte functus est a. d. IV Kalendas Januarias anni MDCCCXVI.

Carmina:

1): *Triumphus Bacchi, Ariadnem amantis in insula Naxo, a Titiano pictus*; 2): *Studiosae juventuti*; 3): *Origo poeseos ex mundi primum cogniti spectaculo ducta*; 4) *Ad poesim sacram*; 5): *Ad beatum Antonium Manzoni, vulgo Peregrinum*; - *Hymnus*; 6): *Litterati humanitas in Platone*; - *Hendecasyllabi*; 7): *Ad juvenes studiosos: Lusus poeticus*; 8): *De beatae Mariae Virginis immaculato conceptu*; 9):



*Secessus furorem poeticum suscitavit; 10): Vacationes magnae; 11): Aemulatio; 12): Alexander Macedo resipiens; - Hexametri; 13): Mater quaedam in obsidione Jerosolymae filio suo vescitur; - Elegia; 14): Cato Uticensis jam moriturus secum loquitur; - Alcaica; 15): M. Curtius eques in voraginem se praecipitat; - Sapphica; 16): Statua Moysis a Michaele Angelo Bonarotio sculpta; - Carmen trochaicum; 17): Sinius; - Jambici senarii; 18): Puer et mater ad speculum; Hendecasyllabi; 19): Sanctus Philippus Nerius contemplatur Christi passionem; - Jambici.*

Poeticae Conversiones:

*1): Jacobi Thomson, Angli: Hymnus ad Deum; 2): Thomae Gray, Angli: De progressu poeseos; 3): Thomae Gray, Angli: Elegia in sepulcreto rustico conscripta; 4): Alexandri Pope, Angli: De homine: - Poema philosophicum latinis versibus ad Joanne Costa translatum; 5): Pindari: Carmina, latinis versibus ab Joanne Costa translata atque illustrata.*

DALLA PIAZZA Cajetanus (1768 - 1844), Valdagnensis.

Valdagni humili loco pridie Kalendas Augustas anni MDCCLXVIII natus, in Patavino deinde in Vicetino Seminario humanitatis studia atque sacram Theologiam coluit. Brevi tempore humaniores litteras docuit, sed, valetudinem causatus, multo vero magis ut se totum litteris traderet, Scledium (in agro Vicetino) se recepit, qua in urbe juvenes sine ullo munere educavit ac domus negotia explicavit. Qui quidem celebris est ob Dantis Alligherii Comoediae conversionem latinis hexametris exaratam: quam ob rem maximus undevicesimi saeculi latinus Comoediae interpretis habetur. Opus hoc, vere insigne, dicavit Principi Serenissimo Joanni Duci Saxoniae artium litterarumque cultori et patrono summe venerabili, illi nempe Joanni, Saxorum regi, qui, Dantis in Germania nono decimo saeculo propugnator adsiduus ac peritissimus explanator, Comoediam metrica, sub alieno nomine Philaethe, Germanica lingua expressit. Scledii Kalendis Novembribus anni MDCCCXLIV defunctus est vita.

Poeticae Conversiones:

*1): Dantis Alligherii, Divina Comoedia hexametris latinis reddita ab abbate DALLA PIAZZA Vicetino. Praefatus est, vitam Piazzae adjecit Carolus Whitte, antecessor Halensis (Lipsiae, 1848).*

**DALLE LASTE** (alias: « Lastesius») Natalis (1707 - 1792), Marosticensis.

Marosticae humili loco natus a. d. III Kalendas Apriles anni MDCCVII, in Patavinum sacrum Ephebeum ingressus est, ut Christi minister fieret. Recens sacerdotio initiatus, litteras latinas sacrae militiae alumnos lycei docuit. Nonnullos post annos, idest anno millesimo septingentesimo tricesimo tertio exeunte, cum inter se et Jacobum Facciolati, qui temporibus illis Patavini Seminarii studiis praeerat, insanabiles essent inimicitiae, sacras illas aedes reliquit ac Venetias se recepit, ubi in CAVALLI domo domesticus praeceptor fuit. Ingenio peracuto et celeri praeditus, acerrimus ad perdiscendum fuit ac memoria fidelis. Sic exponebat, ut non narrari quae gesta sunt, sed rem geri prorsus vidisses. Vir litteris eruditissimus, Pindari et Vergilii, Ciceronis et Titi Livii aemulator acerrimus fuit. Bonus, sincerus, humilis cum domesticis amicisque suis. Etsi animo ferventi erat, tamen omnium observantiam atque amorem sibi conciliavit. Exacta aetate, gravibus morbis adfecta, Marsani (apud Marosticam) supremum diem suum obiit a. d. XI Kalendas Julias anni MDCCXCII.

Carmina:

1): *Apollo Vaticanus*; - *Carmen*; 2): *Caput gypseum M. T. Ciceronis apud Philippum Farsetium*; - *Epigramma*; 3): *Ad Antonium Canovam sculptorum principem (Patavii, 1832)*; 4): *Carmina latina (Patavii, 1774)*.

**FABRIS** Joannes Baptista (1761 - 1817), Roanensis.

Roanae (prope Axiliacum), in agro Vicetino, a. d. VI Nonas Majas anni MDCCCLXI humili sed pio loco in lucem susceptus est. Viginti annos grammaticam, rhetoricam atque humaniores litteras in Patavino Seminario diligenter docuit. Sacerdos fuit pientissimus, qui quidem «omnibus omnia factus est propter Evangelium». Gustum expressit ex classicis oratoribus ac poetis; assecutus est scribendi ita facilitatem, ut linguae romanae nitorem acquisiverit atque quandam, ut ita dicam, Vergilianam elegantiam. Gravi pulmonum inflammatione adfectus, Patavii a. d. V Kalendas Apriles anni MDCCCXVII extremum spiritum effudit.

Carmina:

1): *Fringillae educandae ratio*; - *Carmen didascalium hexametris exaratum (Patavii, 1817)*; 2): *Fringillarum capiendarum ratio*; - *Carmen didascalium hexametris exaratum (Axiliaci, (1881))*.

FARSETTI Thomas Joseph (1720 - 1792), Venetianus.

Venetiis familia patricia anno MDCCXX ortus est. Qui quidem, cum studiorum amore impulsus esset, Italiam peragravit atque Lutetiae Parisiorum Londiniique diu versatus est, quibus ex urbibus bonos codices ac raros libros domum, in qua magnificam ac satis commode instructam libris habebat bibliothecam, diligentius transulit. Nobili ingenio vir fuit: nam italas ac latinas Camenas devote concelebravit. Mollitudo humanitatis, animus magnus, hilaris et lepidus erant ei continenter. Vitae suae finem habuit anno MDCCXCII.

Carmina:

1): *Carminum libri duo (Lutetiae Parisiorum, 1755)*; 2): *Seriola: ad M. Antonium Grimmanum; Hexametri (Venetiis, 1766)*.

FERRARI Joannes Baptista (1733 - 1806), Hospedalettensis.

Tresti (apud Hospedalettum), in Euganeis montibus, humillimo loco a. d. XII Kalendas Februarias anni MDCCXXXIII ortus, tertium decimum annum agens in sacrum Patavinum Ephebeum ingressus est, in quo studiis insigni decore usque ad extremum diem praefuit. In eo vis et solertia mentis valde promptae; semper adhibita latine scribendi consuetudo atque exercitatio; insignis pietas et splendide culta ad exemplum; moderatio animi tanta, ut laudes suas non aequis auribus audiret et prope pudore quodam exciperet; tanta caritas in omnes, ut nihil umquam ab eo dictum fuerit, quod alteri obesset; mira sedulitas et vigilantia in suscepta procuratione studiorum; amor et benevolentia singularis in alumnos, tamquam clientes sibi concreditos, quibus numquam deerat hortando, suadendo, urgendo. Graecorum latinorumque poetarum elegantiam dilexit coluitque; acrem Plautinum jambum innovavit atque Catullianam venustatem speciosis versibus sculpsit. Vir fuit magna humilitate atque innocentissimis moribus. Patavii vita defunctus est a. d. XVIII Kalendas Majas anni MDCCCVI.

Carmina:

1): *Asinus et Juppiter*; 2): *Herus et canis*; 3): *Uxor et vir*; 4): *In Joannem Hardouin pessimum Horati interpretem*; 5): *Ad Horatium*; 6): *In litteratos, qui in rebus inutilibus occupantur*; 7): *Ad poesim*; 8): *In malum patronum*; 9): *Vana artium scientiarumque systema*; 10): *Sacri vates profanis anteferendi*; 11): *Necessaria libertas philosophis et oratoribus*; 12): *In malos typographos*.

FERRAZZI Marcus Antonius (1661 - 1748), Vallistagnensis.

Vallistagnae (in agro Vicetino) tenui loco natus a. d. XII Kalendas Martias anni MDCLXI, puer tredecim annorum in sacrum Patavinum Ephebeum ingressus est. Qui quidem graecis litteris atque hebraicis summo studio vacavit. Anno MDCXCIII Ecclesiae Monsilicensis collegiatae Canonicus creatus est, in qua sacerdotali munere functus est. Vir cerebrosus fuit, verbis insolens ac lingua acerba. At, cum adulescentia defervisset, mitior factus est atque summopere eum paenituit praeterritae vitae suae rationis. Nonnihil contulit ad decus archipresbyteralis Ecclesiae collegiatae suae, quam sacra auxit supellectile. Praeibat omnibus eximio pietatis studio. Vitam egit et aliis utilem, sed remotam a conventu hominum et frequentia; probam, integram, incorruptam, communi iudicio, probatam. Monsilici a. d. III Kalendas Majas anni MDCCXLVIII abiit e vita.

Carmina:

1): *Laudatio in funere Gregorii Card. Barbadii (Patavii, 1697)*; 2): *In Card. Gregorium Barbadicum Epigramma duo (Patavii, 1697)*.

MELAN Sebastianus (1769 - 1847), Vallonarensis.

Vallonarae (prope Marosticam), nobili genere ortus est. a. d. XIII Kalendas Julias anni MDCCLXIX. Qui quidem doctor in utroque fuit atque in Patavino Athenaeo studiorum Theologicorum ordinis praeses atque scientiarum litterarum artiumque Academiae socius emeritus. Viginti per annos, id est ab anno MDCCCVI usque ad annum MDCCCXXIV, in Antenoreo sacro Ephebeo studiis praefuit. Sed cum Canonicus atque in protonotariorum collegium participantium adlectus esset, studiorum praefecti munus deposuit. Ecclesiae Cathedralis Patavinae lumen atque ornamentum fuit: nam corde humilis erat, suavi modestia praeditus, sincerus, benignus, gravis. Ob ejus vitae integritatem ac tranquillam dignitatem honorabilis ac gratus erat omnibus. Studia litterarum sensu suo gustabat atque bonorum latinitatis auctorum elegantiam ac venustatem. Patavii pridie Nonas Majas anni MDCCCXLVII extremum vitae spiritum edidit.

Carmina:

1): *Somnium philosophicum; - Hexametri (Patavii, 1830)*; 2): *Gratus auditorum animus; - Hexametri (Ib., 1831)*.

**NODARI Antonius** (1790 - 1840), Sclavonensis.

Sclavonii (apud Marosticam) a. d. XIV Kalendas Julias anni MDCCXC humili genere ortus est. Qui quidem, cum duodecimum annum ageret, in sacrum Patavinum Ephebeum ingressus est, in quo, Christi minister factus, grammaticam ac rhetoricam quattuor per annos docuit. Anno MDCCCXXII in hujus urbis Athenaeo philosophiae memoriam tradidit. Aedis Cathedralis insignis canonicus fuit. Praeclaro ingenio praeditus, vir magni iudicii fuit ac Musis, quibus aures devote adhibebat, benignus. Lento ac pertinaci morbo adfectus, Patavii a. d. IX Kalendas Decembres anni MDCCCXL ex hoc saeculo migravit ad vitam.

**Carmina:**

1): *Seraphino De Luca Vicetino oratori egregio ob quadragesimales conciones in Basilica Divi Antonii praeclare habitas*; - Carmen (Patavii, 1815); 2): *Ad Caesarem Seminarium Patavinum incredibili humanitate perlustrantem*; - Carmen (Patavii, 1816); 3): *Antonio Savorin juris Canonicis in Seminario Patavino praeceptori archipresbyteralis Ecclesiae sanctae Mariae de Bregantiis regimen suscipienti*; - Ecloga (Patavii, 1818); 4): *In auspiciatissimis nuptiis Andreae Giovanelli et Antoniae Pallavicini*; - Carmen (Patavii, 1818); 5): *Ob sacram lauream qua vir nobilissimus Federicus Manfredini in magno Patavino Theologiae facultatis lyceo insignitur*; - Carmen (Patavii, 1820); 6): *De Prato Vallis*; - Carmen (Patavii, 1820); 7): *Ad egregios Veneti Iudicii consiliarios criminibus expendentis destinatos*; - Elegia (Patavii, 1821); 8): *Lusus poeticus anatomicus, in septem partes distributus*; - Alcaichae (Patavii, 1822); - 9): *Ad Melchiorrem Caesarottium inter Arcadas Meron*; - Hexametri (Patavii, 1824); 10): *In honorem Melchiorris Caesarotti*; - Carmen (Patavii, 1828).

**Poeticae Conversiones:**

1): *Jacobi Mantuani*: - *Ad Ippophilum Lariscum* (italice: «A Ippofilo Larisco»); - *Ode glyconico-asclepiadea latine ab Antonio Nodari translata*; 2): *Andreae Mustoxidi*: - *Genthliacon, latine ab Antonio Nodari translatum*; - *Ode Catulliana*.

**SALANI Carolus Aloisius** (1826 - 1888), Patavinus.

Patavii a. d. XIX Kalendas Septembres anni MDCCCXXVI honesto genere ortus, viginti per annos rhetoricam ac latinam litteras in sacro hujus urbis Ephebeo docuit. Vir in omni iudicio elegans, subtilis Horati explanator, venustatem latinorum poetarum coluit

ac perfervido studio discipulos docuit. Religione, modestia, lenitate spectatissimus fuit. Qui quidem ob latini italicique sermonis elegantiam et carmine et soluta oratione apud cives exterosque singularem laudem adsecutus est. Sacerdos optimus ac desideratissimus fuit, Patavinarum sacrarum aedium lumen et decus. Indomita vi crudelem morbum cum sanctissime toleravisset, a. d. XII Kalendas Octobres anni MDCCCLXXXVIII omnium admirationi atque amori praereptus est.

Carmina:

1): *De Italorum apud Leunianum victoria (Patavit, 1876)*; 2): *Patria et religio in Patavina republica saeculo XIII (Patavii, 1885)*.

SIMONETTI Ludovicus (1810-1883), Valleduplavinensis.

Valleduplavine humili loco natus a. d. Kalendas Junias anni MDCCCX, cum puerilem aetatem ageret, in sacrum Patavinum Ephebeum ingressus est, ubi per studiorum gradus ad sacerdotale munus effectus est. Qui quidem, nobili ingenio praeditus, grammaticam atque humaniores litteras sacrícolas docuit. Cum inter Antistites domus Pontificis adlectus esset, anno MDCCCLIX creatus est Canonicus in Ecclesia cathedrali Patavina. Moribus integerrimus, praeclara modestia, exquisita liberalitate fuit; impavidus ad Ecclesiam defendendam; conspicuo amore in Patavinum Seminarium semper flagravat. Eximius politiorum litterarum professor fuit ac in publicis Academicis, poetica vi et latino sapore refertis, majorum decora ita aemulatus est, ut latinum hexametrum perfacile prosequeretur. Pie sancteque vita functus est Patavii a. d. X Kalendas Martias anni MDCCCLXXXIII.

Carmina:

1): *Exemplum paenitentiae: S. Maria Magdalena ab Antonio Canova sculpta*; - *Elegia (Patavii, 1858)*; 2): *Absumptio B. Mariae Virginis a Titiano Vecellio depicta*; - *Hexametri (Patavii, 1860)*; 3): *De Patavino Seminario a D. Gregorio Card. Barbarigo instituto*; - *Carmen hexametris exaratum (Patavii, 1861)*; 4): *De praecipuis linguae ministeriis*; - *Carmen (Patavii, 1864)*; 5): *Telegraphus*; - *Hexametri (Patavii, 1880)*; 6): *Manus, sive nobiliora manus ministeria*; - *Hexametri (Patavii, 1883)*.

SOLETTI Petrus (alias: «Erifans Eritensis») (1769-1845), Opiterginus.

Opitergii adsidua domo natus a. d. VII Kalendas Augustas anni

MDCCLXIX, magna peritia medicinam exercuit. Diligenter atque assidue aegris medicabatur, saepe ullo sine munere, tantum caritate in indigentes motus. Inter cataplasmos, decocta et sanguinis detractiones, in cives languentes illata, cum virginibus Camenis nativo ac latino sermone devote atque non indigne colloquebatur. Extremum vitae spiritum edidit in patria sua a. d. III Nonas Novembres anni MDCCCXLV.

**Carmina:**

1): *In Laurentium Domum*; - *Anacreontica* (Tarvisii, 1822); 2): *Hyella*; *Ecloga* (Ib., 1825); 3): *De Cena Christi a Leonardo Vinci picta*; - *Carmen* (Ib., 1827); 4): *In laudem Jacobi Vittorelli*; - *Epigramma* (Ib., 1829); 5): *Jesu Nativitas a Paride Bordono depicta*; - *Hexametri* (Ib., 1829); 6): *Ad Julii Trenti cineres*; - *Elegia* (Ib., 1832); 7): *Ad Stephanum Gallinum pro valitudine restituta*; - *Elegia* (Ib., 1843); 8): *In laudem Justinam Micheli*; - *Elegia* (Ib., 1835); 9): *Jacobo Monico Patriarchae Venetiarum a Gregorio XVI P. Max. inter Patres Cardinales cooptato*; - *Carmen dicatum* (Ib., 1835); 10): *De turbine qui in Patavina urbe desaevit a. d. VI Kalendas septembres anni MDCCCXXXIV*; - *Carmen* (Patavii, 1836); 11): *Ecloga Mariae Perdolenti inscripta* (Tarvisii, 1836).

**Poeticae Conversiones:**

1:) *Jacobi Vittorelli, De Napoleonis Bonaepartis exitio* (italice: «*La caduta di Napoleone*»); *versibus latinis reddidit Petrus SOLETTI* (Tarvisii, 1814); 2): *Alexandri Manzoni, Dies quinta Maji* (italice: «*Il cinque maggio*»); *latinis versibus redditum a Petro SOLETTI* (Lucani, 1822); 3): *Jacobi Vittorelli, De glorioso reditu Pii VII e Gallia* (italice: «*Il glorioso ritorno di Pio VII dalla Francia*»); *latinis versibus reddidit Petrus SOLETTI* (Tarvisii, 1823); 4): *Ladislai Pyrkerii, Eliadis libri duo*; *ex Germanico idiomate latinis versibus redditi a Petro SOLETTI* (Ib., 1834).

**SVEGLIATO Joannes Baptista** (1791 - 1837), Plovensis.

Plove de Sacco (prope Patavium) a. d. IX Kalendas Julias anni MDCCXCI humili loco natus, cum recens sacerdotio auctus esset, latinis litteras simul graecamque eloquentiam tradidit. Anno MDCCCXXXIV in Monregalense Seminarium se recepit, ubi tres per annos eloquentiae egregius professor ac studiorum praefectus fuit. In latinis litteris singulari doctrina fuit ac subtilis atque elegans poeta. Monreali, cholerae morbo adfectus, anno MDCCCXXXVII, heu, indigne ademptus est.

## Carmina:

1): *Nocturnum spectaculum datum in aula Urbis maxima a. d. XIII Kal. Jan. anni MDCCCXV a regia civitate Patavina Francisco Primo Austriae Imperatori*; - *Hexametri (Patavii, 1816)*; 2): *Hercules Ly-cham in mare projiciens*; - *Jambi senarii (Patavii, 1823)*; 3): *Pietatis elogium (Patavii, 1832)*; 4): *Romanorum in liberis instituendis severitas (Panormi, 1835)*; 5): *In laudem Beatae Mariae Virginis Immaculatae (Panormi, 1836)*; 6): *Newtoni laus (Panormi, 1837)*; 7): *Patriae charitas (Panormi, 1837)*.

## Poeticae Conversiones:

1): *Ladislai Pyrcherii: Rudolph von Habsburg*; - *Carmen heroicis versibus a Clemente Svegliato translatum (Patavii, 1827)*; 2): *Petri Alexandri Paravia: Carmina selecta (italice: «Poesie scelte») latinis versibus a Clemente Svegliato translata (Venetiis, 1828)*; 3): *Francisci Mariae Franceschini: Carmina quattuor (italice: «Quattro sonetti») latinis versibus a Clemente Svegliato reddita (Patavii, 1833)*.

TRIVELLATO Joseph Angelus (1790 - 1860), Bagnolensis.

Bagnolis tenui loco Kalendis Octobribus anni MDCCXCI ortus, novem annorum puer, in Antenoreo sacro Ephebeo ingressus est, ubi, Christi sacerdos factus, tres per annos grammaticam, quinque vero humaniores litteras docuit; deinde latinas litteras summo studio ac diligentius tradidit. Qui quidem ob pietatem in Deum summam dilectionem in Virginem Mariam atque in homines caritatem sacerdos eximius fuit. Latinorum poetarum venustatem praedilexit, ex quibus nitorem ac mollem numerum facile et perbelle deprompsit. Cum diu ac gravius ex corde laboraret, Patavii a. d. V Idus Februarius anni MDCCCLX de vita decessit.

## Carmina:

1): *Franciscus primus Galliae rex apud Papiam victus*.

## Poeticae Conversiones:

1): *Jacobi Vittorelli: Carmina (italice: «Rime edite ed inedite») ab Josepho Angelo Trivellato heroicis versibus translata (Patavii, 1825)*.

Prof. AEMILIUS PIOVESAN  
Via Fontane, 26 A  
LANCENIGO (Treviso) in Italia



# BIBLIOGRAPHIA

BAYERISCHEN AKADEMIE. — *Mittelaltersdeutsches Wörterbuch*. Ed. C. H. Beck'sche Verlagsbuchhandlung, München, 1973. II Band Lieferung 5 (15 Lieferung des Gesamtwerkes), col. 641-800 (*cirrus-cognoscibilis*).

Lectoribus nostris superiores hujus praestantissimi lexicī mediī aevi fasciculos saepius recensendos praebuimus quam ut opus sit rationem operis, naturam indolemque eis significare; omnes enim plane compertum habent momentum hujus maximi in lexicographia monumenti. Item eo animo grati fasciculum XV suscipimus quo superiores, vehementissime desiderantes ut alii in lucem quam primum prodantur ut tota eorum series feliciter ad studiorum commodum perficiatur atque absolvatur. Omnia vocabula cum variis significationibus mediaevalium scriptorum locis illustrantur atque confirmantur; liceat tamen —quamvis omnia apprime pertractata— aliqua vocabula in primis significare quae nobis magis ariserunt sive ex eorum auctoritate sive ex ampliore quoque rei explanatione: *cito, citra, civilis, civis, civitas, clamo, clamor, claresco, clarifico, claritas, clarus, claudio, clavis, claustrum, clemens, clementia, clericus, clerus, clipeus, coaduno, coaequo, coagulo, coarcto, codex, coenobium, coerceo, coetus, cogito, cognatio, cognatus, cognitio*.

BÖSING, L. — *Griechen und Römer im Augustusbrief des Horaz*. Druckerei und Verlagsanstalt Konstanz, Universitätsverlag GMBH, 1972. Pag. 58. DM 14,80.

Hoc praecipuum brevis opusculi patet argumentum: quo modo graeci

et romani apud Horatium in epistula ad Augustum conscripta appareant. Prooemio peracto, praecipuam L. Bösing aggreditur quaestionem per brevia capita, quae ad rem pertinent, subtiliter haec attingens: graecorum et romanorum instituta, graeci in prima parte epistulae ad Augustum, graecorum "vitia", Roma patriarchalis, mutatio rerum apud romanos, necessitas artium, poeta et res publica, "synkrisis" in epistula ad Augustum. Subtilissimum commentarium primae partis epistulae omnibus probabitur; post textum qui ad paginam XXXVI protenditur, annotationes sequuntur quibus non nulli brevium capitum loci, juxta auctoris sententiam arbitriumque, illustrantur atque explicantur.

HOFFMANN, O. — SCHERER, A. — *Geschichte der griechischen Sprache, I (Bis zum Ausgang der Klassischen Zeit)*. Ed. Walter de Gruyter, Berlin, 1969. Pag. 148.

DEBRUNNER, A. — SCHERER, A. — *Geschichte der griechischen Sprache, II (Grundfragen und Grundzüge des nachklassischen Griechisch)*. Ed. Walter de Gruyter, Berlin, 1969. Pag. 134.

En duo opuscula maximi momenti quamvis parvae molis ad describendam historiam linguae graecae. Quasi summam quamdan exarare sibi auctores proposuerunt ad cum alumnorum tum professorum commodum atque utilitatem. Primo volumine historia linguae graecae proponitur jam inde a primis ejus originibus usque ad finem aetatis classicae quae dicitur. Haec attinguntur argumenta: I. *Grundlagen* (§1-25), ubi fundamenta

seu prima elementa memorantur ad indogermanicam graecorum stirpem et linguam investigandam; II. *Mykenisch* (§ 26-30); III. *Die Dialekte* (§ 31-68), in quo de divisione dialectorum graecorum scite agitur praecipuas linguae graecae differentias inquirendo ionicum scilicet sermonem, atticum, arcadicum cyprium, aeolicum, occidentalium graecorum, pamphylium; IV. *Umgangssprache und Unkundesprache* (§ 69-83), inscriptiones et lingua vulgaris inquiruntur; V. *Literatursprachen* (§ 84-238), ubi de litterarie dicendi genere disseritur praecipuos scriptores memorando ut Homerum et Hesiodum, poetas elegiacos, apigrammaticos, lyricos, scaenicos, solutaeque orationis scriptores. Opusculum indice nominum propriorum, rerum grammaticarum, verborum graecorum finitur. In altero opusculo praecipuae de lingua classica graecorum quaestiones disputantur juxta indicem duarum opusculi partium: *Erster Hauptteil: Grundfragen des nachklassischen: 1. Quellen; 2. Die Entstehung der hellenistischen Gemeinsprache und ihre Verbreitung auf dem griechischen Gebiet; 3. Die hellenistische Gemeinsprache und die fremden Sprachen; 4. Neue Dialekte im nachklassischen Griechisch. Das Neugriechische und seine Dialekte; 5. Der Attizismus. Zweiter Hauptteil: GRUNDZÜGE DES NACHKLASSISCHEN GRIECHISCH*. Opusculum quoque alterum indice finitur nominum propriorum, rerum grammaticarum, vocabulorum graecorum quo utilissimum opus redditur consulentibus.

FRISK, H. — *Griechisches Etymologisches Wörterbuch*. Band III Nachträge. Wortregister. Corrigen-da. Nachwort. Ed. Carl Winter, Heidelberg, 1972. Pag. 312.

Cum saepe lectoribus nostris cor-

pus fasciculorum e quibus constat *Lexicon etymologicum graecum* clmii. Prof. H. Frikk commendaverimus, nihil in praesens novi addere possumus praeter indolem, naturam dotesque hujus praestantissimi vocabularii quod cognitum perspectumque jam diu habent. Ad hujus operis partem quod attinet, animadvertant lectores volumen esse superiorum omnium fasciculorum supplementum. Haec igitur voluminis est ratio: primum voces seu vocabula contracta indice digeruntur et explicantur (p. 7-13), deinde ordine quoque alphabetico quam plurima nova, addenda ac notanda colliguntur quae vocabulis graecis respondentia superioribus fasciculis contenta non erant quaeque maximam voluminis partem constituunt (p. 15-191); denique indicibus summae utilitatis finitur volumen quibus vocabula cum graecis quodam modo conferenda alphabetice etiam ordinantur ad linguam indicam, iranicam, tocharicam, hethiticam, armenicam, phrygiam, linguam graecam recentem, albanicam, illyricam, linguas italicas (oscam, umbricam, latinam), linguas romanicas (francogallicam, italicam, hispanicam aliosque dialectos románicos), linguas celticas, germanicas, balticas, slavicas, semiticas pertinentia. Tandem explicit opus indice locorum corrigendorum.

BYL, S. — *Initiation à la civilisation grecque*. I partie (Classe de seconde de la section latin-sciences). Ed. H. Dessain, Liège, 1969. Pag. 128.

Id sibi auctor proposuit magistris scilicet praebere eorumque discipulis librum manualementem juxta methodologica linguarum antiquarum postulata. Opus igitur prooemium continet ubi Prof. S. Byl quid sit "cultus humanus" et "miraculum graecum" ostendere nititur; quem ad finem brevibus de historia ac geographiae Graeciae

veteris notitiis completur argumentum. Ita alumni in magnis litterariis generibus quae orta sunt in Graecia faciliter initiantur: in poesi epica, lyrica, in tragoedia et comoedia et in textibus medicis quibus cogitandi ingenium graecorum magnopere significatur. Unumquodque caput de historia artis notitiis illustratur, ita ut exempli gratia alumni, qui non nulla fragmenta Iliadis et Odysseae legerint, rem locosque ab Homero inductos ad eos per archaeologica inventa revocandos et comprobandos invitentur. Si operis argumentum complere velis, indicem adi: Introduction. Etude préliminaire. L'Iliade et L'Odyssee. Hésiode. Le lyrisme. La tragedie. La comedie. La médecine grecque. L'art de l'époque classique. L'art de l'époque hellénistique. Conclusion. Table de matières.

BYL, S. — *Initiation à l'art grec*. Ed. H. Dessain, Liège, 1966.

Hoc opusculo superior liber ad initiandos alumnos in humano graecorum cultu completur; in eo enim series imaginum luce expressarum seu photographiarum continetur, ubi praecipua artis graecae exempla ordine chronologico disponuntur jam inde ab aetate cretica mycenaea usque ad hellenisticam aetatem. Unaquaque imago brevibus explicationibus instruitur quibus alumni de museis ubi exempla conservantur, de eorum materia, mensura, praecipuisque proprietatibus fiant certiores. Tabulis XXXVI circiter LX imagines photographicae continentur.

STUMPF, J. — *Introduction à la stylistique du français*. Ed. Librairie Larousse, Paris, 1871. Coll. Sciences Humaines et Sociales. Pag. 188.

Tres partes in opere dispaes magnitudine animadvertamus oportet. Pri-

ma pars tantum quasi experimentum in re investiganda constituit per se ubi XC paginis abundantis bibliographia illustratis Prof. J. Stumpf propositum suum evolvit: constituere scilicet "elementa externa" enuntiationis et deinde experiri ut ejus "regulae" seu normae intellegantur. Quod auctor ad rem novum attulit in eo plane est ut, praeter quam quod stili definiendi ambiguitatem notat, talem autem ambiguitatem persolvere nitatur non potius tantum per rationes ac vias linguisticas verum etiam per investigationem contextuum socialium et culturalium. Quo novo rei tractandae temptamento Prof. J. Stumpf paginas magni momenti conscribere nactus est easque omnino novas de rationibus ac viis paedagogicis quae ab antiquitate nobis hereditate venerunt quaeque medio aevo quoque sunt usurpatae, de Jesuitarum munere ac parte in constituendo quodam exemplo sociali et culturali e quo nos vix in praesens liberare incipimus, de renovationis conatibus cum philosophorum tum linguistarum recentium. En quinque operis capita cum argumentis in eis pertractatis: I. *Le modèle socio-culturel* (p. 15-25); II. *L'approche linguistique du style. Enoncé, énonciation, écart* (p. 27-36); III. *Le discours philosophique français dans ses rapports avec Husserl, Marx et F. de Saussure* (p. 37-51); IV. *Le discours critique français* (p. 53-80); V. *Esquisse d'une solution au problème du style*. Maximas Prof. J. Stumpf gratias habere debemus quod in uno eodemque opere nos donavit tribus scriptis summi in re momento: praestantissimam illam dicimus acroasim quam R. Jakobson in Universitate Indianapolis anno 1960 habuit, explicationem praeterea non minus nobilem poematis Baudelaire "Les Chats" inscripti quam una communique opera linguista R. Jakobson et ethnolo-

gus C. Lévi-Straus perferunt, et lucubrationem illam difficiliorem quoque inventu cui est index "Vers la stylistique structurale". Auctor operi finem imponit annotationibus commentariisque de analytice statistica stolorum et de grammatica quae vulgo generativa nuncupatur deque stili quaestionibus.

DES PLACES, E. — *Numénius: Fragments*. Ed. Les Belles Lettres, Paris, 1973. Pag. 156. F. 30.00.

Gratum facimus Prof. E. des Places, S. J., quod Numenium, philosophum neopythagoricum qui fere ignotus in umbris vulgo latet, e tenebris et virum et fragmenta ejus philosophica quae supersunt, eripere hac editione voluit. Antequam nobis fragmenta praebeat, auctor scitissimum habet prooemium ubi haec argumenta subtiliter pertractat: I. Numenii ejusque vita et opera; II. Numenii theologia: utrum duo an tres dii?; III. Numenius philosophiae historicus; IV. Numenius et Xenocrates; V. Numenius et "Oracula Chaldaica"; VI. De anima; VII. Numenius et Oriens; VIII. Numenius et Plotinus; IX. Numenius et Porphyrius; X. Numenius et Eusebius Caesariensis: quantam benevolentiam Eusebius erga Numenium protulerit quantamque vim et auctoritatem Numenius in theologia Eusebii habuerit; XI. De lingua et genere dicendi; XII. De textu deque ejus versione. Bibliographia insequitur editionum et interpretationum, operum et lucubrationum ad Numenium attinentium. Quibus scite pertractatis textus graecus prostat cum interpretatione gallica quae omnibus probabitur et brevi apparatu critico. Fragmenta juxta vulgatum indicem colliguntur: a) De Bono; b) De rebus apud Platonem secretis; c) De Academicorum erga Platonem infidelitate; d) De animae incorruptibilitate;

e) Fragmenta varia; f) Fragmenta dubia. Fragmenta quae explicatione indigent annotationibus additiis illustrantur. Opus indice verborum, fontium, auctorum a Numenio laudatorum, convenientiae fragmentorum finitur.

NOVÁK, J. — *Florilegium cantionum latinarum. Melodiae veteres ad cantum cum clavibus accommodatae. Fasc. I.: Hymni et cantica natalicia*. In aedibus Zanibonianis editum, Patavii (Padova), 1972. Pag. 20.

NOVÁK, J. — *Cantiones Latinae medii et recentioris aevi ad cantum cum cithara*. In aedibus Zanibonianis editae, Patavii, 1972. Pag. 18.

Ex nuntio a Domo editoria G. Zanibon Patavii vulgato certiores facti sumus brevi tria volumina editum iri quae "Florilegium cantionum latinarum" inscribuntur, quibus ad cantum clavibus comiter comitandas cantiones veteres sed jucundissimas collegit, harmoniis suavibus ornavit Prof. Janus Novák, compositor Bohemus, qui jam plurimis modis musicis in versus latinos factis innotuit. Nunc lectoribus nostris offerimus primum fasciculum "Florilegii cantionum latinarum", ubi carmina religiosa inveniuntur hoc indice: *Ad galli cantum, Jam lucis orto sidere, Ut queant laxis, Missus bajulus, Verbum Patris humanatur, Angelus ad Virginem, Resonet in laudibus, Personent hodie voces puerulae*, vehementer alterum et tertium fasciculum expectantes. Verba tamen ipsius auctoris audiamus quid sibi his operibus musicis edendis proposuerit: "cantilenas latinas in libris novis veteribusque dispersas et saepissime pulvere bibliothecarum obrutas diligenter per annos exquirebamus, e quibus illas aut modis musicis aut versibus poeticis insigniores atque potiores elegimus et harmoniis nostro

tempori prioribus ornavimus et sic eas per tres fasciculos dispositas tibi, candide lector, aut potius, jucunde cantor, propinamus... Non dubito quin multa in nostris fasciculis inventurus sis, quorum deliciis et suavitatibus melicis, nedum melleis, gaudens, et fortasse miraberis, quam multi musici flores iniquitate temporum perierint, etsi cantiunculae, quas tibi praebemus, simplices sunt et floribus quasi campestribus similes et potius cantilenis popularibus comparandae, quibuscum etiam hoc commune habeant, quod —sive melodiam sive versiculos spectes— saepe variantur et mutantur in diversis codicibus”.

BIZOS, M. — *Xénophon: Cyropédie, tome II, livres III-V*. Ed. “Les Belles Lettres”, Paris, 1973. Pag. 136. F. 40.00.

DELEBECQUE, E. — *Xénophon: Le Commandant de la Cavalerie*. Ed. “Les Belles Lettres”, Paris, 1973. Pag. 114. F. 25.00.

Forsitan lectores superiorem recensionem primi voluminis Cyropediae legerint quae in fasciculo Palaestrae Latinae 216 p. 188 prodiit. Ibi fuse de introductione ad memoratum Xenophontis opus egimus; quod ad alterum spectat volumen, qui nunc id legere velint, introductionem illam adeant quo facilius utiliusque textum Xenophontis calleant. Hoc alterum volumen textum tantum continet cum interpretatione gallica; ad calcem columnae textus graeci breviculae sed per utiles annotationes subsunt; item dicendum de apparatu critico sub columna versionis vernaculae. Sed ad alterum Xenophontis opus animum convertamus quod lectoribus recensendum manet quodque “Le Commandant de la Cavalerie” (IPPARJIKOS) inscribitur. Cum libros manuales, qui-

bus auctores de historia litterarum graecarum agunt, manibus ad consulendum versamus, non possumus non indignari quaedam opuscula litteraria tam obiter tractari ut ne fere unam quidem notitiam afferant minimam. Quod de Xenophontis opusculo memorato contingit; quapropter merito haud parvo Prof. E. Delebecque esttribuendum quod praeter vernaculam interpretationem eamque, nostra tamen sententia, accuratissimam, per utilem exaravit introductionem quo commodius Xenophontis opusculum legatur. Quam introductionem in duas auctor dividit partes quarum prima ita inscribitur: L'OEUVRE ET L'HOMME, ubi diserte de titulo agit et de iis quibus libellus destinatur, juvenibus in primis qui quondam praefecti equitum creari possent, in quibus et Diodorus ipse filius superstes; argumentum postea quasi summam exponitur: I. *Premier devoir de l'héparque: réorganiser la cavalerie athénienne*; II. *L'école d'escadron*; III. *La cavalerie dans les fêtes athéniennes*; IV. *Service en campagne*; V. *Tromper l'ennemi*; VI. *La discipline*; VII. *Hypothèse d'une invasion de l'Asie*; VIII. *Coups de main; les forces en présence*; IX. *Enrôlement de mercenaires. Secours des dieux*. Auctor quoque fontes inquirat et adjuncta historica. Altera prooemii pars textui dicatur. Postremo textus graecus apparet et interpretatio vernacula cum brevibus commentationibus ad calcem paginae brevique apparatu critico. Post selectam bibliographiam qua ad editiones praecipuas, versiones, linguam et lexicum, opera universa, lucubrationes ceteraque manu quasi ducimur, lexicon admodum utile prostat quo vocabula illa in primis indolis technicae quae ad equum et equitatum apud Xenophontem attinet, ad summum legentium adjumentum alphabetice ordinantur. In extremo demum

opere annotationes additiciae colliguntur quibus difficiliore loci dilucide intelleguntur.

VESSEY, D. — *Statius and The Thebaid*. Cambridge at the University Press, 1973. Pag. 358. L 7.80 net.

Poema illud Statii Thebais inscriptum critice hoc opere Prof. D. Vessey investigavit. Qui subtiliter totisque viribus argumentisque opinionem improbat communissimam poema Statii nihil aliud esse quam litterarium rerum anachronicarum exercitium, narrationem quandam episodiam fabularum thebanarum. Contra Prof. D. Vessey ostendere contendit poema stantium et posse et debere legi tamquam allegoriam accurate affabreque exaratam qua et sensa et cogitata et vita humana vividissime exprimuntur atque significantur. Hac ergo Thebaidos interpretatione "commenta illa epica" quae vel antiquissimis criticis abhorrentia et minime opportuna viderentur, suum propriumque nanciscuntur locum quem in mente poeta Statius habuerat. Itaque aliquo intelligere modo possumus quanta aestimatione atque auctoritate praestiterit Statius apud classicos scriptores ut Dante, Chaucer, Spencer. Doctor D. Vessey in ea persistit opinione collocandi Statium quasi in via duplicis traditionis litterariae: veteris nempe classicae et recentis europaeae, cum in utraque traditione tantum Statius invaluerit; nam Statium investigare atque comprehendere cum scriptorum classicorum tum mediaevalium studiosis prodest. Propositum igitur huius libri videtur, ut ex ipsius auctoris verbis in prooemio patet, analysis et aestimationem criticam facere Thebaidos Statii eo certe consilio ut opus in proprio contextu historico et litterario rite collocetur ope examinis formae, stili, rerumque quae in poemate continentur. Ad majorem operis

comprehensionem en index: I. *The Silvae and Statius'art* (p. 15); II. *The Thebaid: basis and form* (p. 55); III. *Figures of "ira" and "pietas"* (p. 92); IV. *The defeat of Adrastus* (p. 134); V. *The Argives at Nemea* (p. 165); VI. *Statius and epic conventio* (p. 196); VII. *Statius and the supernaturai* (p. 230); VIII. *Peacemakers and warmongers* (p. 270); *Appendix: The structure of the Thebaid* (p. 317). *Bibliography* (p. 329). *Index of passages cited* (p. 343). *General index* (p. 353).

GRANT, M. — *Das Römische Reich am Wendepunkt. Die Zeit von Mark Aurel bis Konstantin*. Ed. C. H. Beck'sche Verlagsbuchhandlung, München, 1972. Pag. 349. DM 25.80.

Spatium temporis quod ab ineunte Marci Aurelii imperio usque ad mortem Constantini Magni producitur ab historicis —inde a Cassio Dione ad E. Gibbon— instantius in dies senescentis corruptaeque aetatis damnatum est. Adversus hanc nimis forte simplicem historicorum sententiam Prof. M. Grant penitus investigare contendit amplitudinem discriminis quo Imperium Romanum aetate illa laboraret. Namque dum Imperium propter vehementissimos hostium exterorum impetus foris crebris minis domique instabilitate pugnisque regnum petentium jactabatur, in re publica invalecebat unius dominatio, onera fiscalia ingravescebant, necesse Romam fuit amplissimam pati mutationem et evolutionem regiminis, nobilitatis, artium, architecturae, juris, religionis, philosophiae. Hoc merito tribuimus operi Prof. M. Grant quod Romam ostendit vehementissimis gravissimisque periculis ac necessitatibus economicis exagitatam numquam tamen omni ope atque opera —quantum fieri posset— enixam esse ad rei publi-

cae imperiique salutem. Tum Roma quasi imago videbatur communitalis, quae mente comprehendere non potest, cultuum atque populorum; homines enim qui aetatem illam configurare debuerunt, se ipsi omnino romanos iure sentiebant, etsi non nulli, ut Plotinus, ab Orientis plagis provenissent, cum Imperium provinciarum in primis orientalibus sustentaretur. Si vis, en indice habes: 1. *Die Geschichte der späteren Kaiserzeit* (p. 3); 2. *Die militärische Leistung* (p. 15); 3. *Der Preis des Überlebens* (p. 53); 4. *Der Kaiser und seine Helfer* (p. 80); 5. *Künstler und Architekten der Kaiserzeit* (p. 105); 6. *Die hohe Schule des Romans* (p. 136); 7. *Evangelien des Selbstvertrauens* (p. 163); 8. *Die Blütezeit des Heidentums* (p. 197); 9. *Der Triumph des Christentums* (p. 251); *Epilog* (p. 301). *Stamntafeln* (p. 311). *Anmerkungen* (p. 315). *Register* (p. 342).

ROMANIELLO, G. S. — *La resurrezione di Virgilio*. Morano Editore, 1972. Pag. 260. I. 2.500.

Gratissimo animo ex benevolentia summa quae erga nos ab auctore ostenditur suscipimus et ejus opus et verba quae in prima operis pagina nobis humaniter dicavit: "Opus meum, quantumcumque est, egregiis istius societatis philologis inspiciendum libenter trado atque commendo. De quo quidem sincerum iudicium, qualecumque feceritis, erit mihi vehementissime gratum exspectatumque. Latinae III-IV-73. Romanellius". Fiduciam igitur auctoris fraudare non patientes, notitiam lectoribus aliquam praebeamus quamvis brevem, ut nobis in tot operibus recensendis mos est, eam tamen tam sufficientem afferamus ut quidquid sibi clmus. Prof. J. S. Romaniello proposuit quam verissime innotescat. E prooemio testimonia eru-

mus oportet. In eo enim auctor ipse, postquam recentes philologos qui in investigandum poetam Vergilium incubuerunt memoravit, eorum in primis poetae interpretandi rationem ac viam summa cautela ac religione prosequitur vehementissime improbens atque objectans cum praeteritam tum praesentem philologiam quibusdam rationibus atque cogitatis hodiernis explicare velle res illas spirituales et morales remotissimae aetatis quae longissime a nostra abest. Alia contra auctor procedit via: omnes difficultates quaestionesque quibus Vergilius implicatur non aliunde venire nisi ab ipso Vergilii textu; quapropter investigatio omnis eo tendere debet ut reliquiae ambiguitatis ac discrepantiae quibus philologia vergiliana hucusque in poeta interpretando laboravit, plane e medio tollantur. Hac igitur nova via Prof. J. S. Romaniello novum opus legentibus praebet quo haec argumenta attinguntur, ut ex indice patet: I. *Scoperta della interpolazione contenuta del libro II delle Georgiche e relative prove*; II. *Ottimismo e pessimismo virgiliano. Le interpolazioni nella IV ecloga*; III. *Virgilio e Tiro. Critica dell'esegesi tradizionale dell'ecloghe I, IX, VI e V*; IV. *Evoluzione spirituale di Virgilio e composizione del primo libro delle Georgiche. L'adesione di Virgilio alla dottrina religiosa esiodea*; V. *Il pessimismo religioso nelle Georgiche. Fede e concezione eroica dell'esistenza. Bibliografia*. Nullo modo legentium expectationem deceptum iri, speramus si liberum, qui "La resurrezione di Virgilio" inscribitur, utpote nova ratione ac via in Vergilio interpretando instructum, cupiditate et studio tantum adducti avida manu versaverint, cum nova Vergilii visione sint ipsi locupletandi.

PALERMO, N. — *Echi di guerra... sogni di pace...* Antologia dalle opere di Cesare, Catullo, Poeti elegiaci. Per la terza classe del Liceo Scientifico. Edizioni Remo Sandron, Firenze, 1972. Pag. 268. £. 2000.

PALERMO, N. — *Roma: ideali e lotte politiche.* Antologia delle opere di Virgilio, Livio, Cicerone, Sallustio. Per la prima classe del Liceo Classico. Edizioni Remo Sandron, Firenze, 1972. Pag. 370. L. 2200.

PALERMO, N. — *La conquista romana: missione o imperialismo.* Antologia delle opere di Virgilio, Livio, Cesare. Per la classe dell'Istituto Magistrale. Edizioni Remo Sandron, Firenze, 1972. Pag. 310. £. 2200.

Salvere cum auctorem tum editorem horum anthologicorum latinorum jubemus quod novam eamque utilem in tradendis litteris latinis ausi sunt ingredi viam. Hac freti novitate alumni et magistri expeditius sibi iter invenient cum scriptores latinos adire debeant. Nam merito Prof. N. Palermo tribuimus quod jucundam editionem scriptorum latinorum tribus voluminibus ad usum scholarum exaraverit. Praecipua viae ac rationis novitas in eo est ut sub textu scriptorum qui praestantibus litteris typographice supra prostat, "constructio directa" quae vulgo dicitur, ad majus discipulorum et magistrorum commodum praebetur. Annotationes, quae minori litterarum typo mandantur, maximo erunt adjumento iis qui textus legerint ut praecipuae difficultates e medio tollantur ad rite scriptores interpretandos.

Primo volumine "*Echi di guerra... sogni di pace...*" quod inscribitur scripta selecta Caesaris, Catulli, aliorumque elegicorum (Tibulli, Propertii, Ovidii) colliguntur. Titulus seu index

voluminis omnibus probabitur, nam pueri ubi Caesarem virum bellicosum pugnacemque perlegerunt, suavissimis elegicorum poetarum carminibus allicientur quibus humani generis studium pacis exprimitur.

Altero volumine "*Roma: ideali e lotte politiche*" inscripto anthologica offerentur Vergilii, Livii, Ciceronis, Sallusti scripta. E quibus omnibus scriptoribus, qui in hoc volumine secundo prostant, studia romanorum vivide exsurgunt qui illa rei publicae aetate vixerunt ad urbem maximam publice constituendam.

Tertio demum volumine, cui est index "*La conquista romana: missione o imperialismo*"?, seliguntur scripta Vergilii, Livii, Caesaris eo tamen consilio ut alumni adjuventur ad recte judicandum utrum romanorum imperium missioni cuidam seu voluntati superiorum respondeat —ut Vergilius Liviusque autumant— an mera terrarum occupatio ad dilatandos fines romanorum tantummodo significetur. Paucis verbis, tribus his voluminibus freti alumni nostrae aetatis qui litteras latinas adire et ingredi debent, summa sine dubio jucunditate commodoque id perficient.

VIAL, C. — *Lexique d'antiquités grecques.* Librairie Armand Colin, 103, Boulevard Saint-Michel, Paris V. 1972. Pag. 272.

PELLETIER, A. — *Lexique d'antiquités romaines.* Librairie Armand Colin, Paris, 1972. Pag. 254.

Cum indoles et natura utriusque libri una eademque videatur, simul utrumque recensendum putamus. Utrumque enim opus lexicon constituit utilissimum quo vocabula alphabetice ordinantur quibus designantur praecipua historiae graecae et romanae: instituta, res publica gerenda, res militares, oeconomicae, sociales,



privata et publica vita quotidiana, religio, artes, ceteraque. Nomina propria tantum locorum et personarum, cum operis brevitatis id expostulet, excluduntur. Quadraginta circiter imagines pictae res utiliter illustrant. Minime nobis est dubium quin historiae veteris, litterarum classicarum cum graecarum tum latinarum, archaeologiae alumni et magistri magnos fructus ex utroque opere seu lexico consulendo percepturi sint.

SCULLARD, H. H. — *Roman Politics 220-150 B. C.* Second edition. Oxford at the Clarendon Press, 1973. Pag. XXXIII-326. L 5.50 net.

Hic liber, qui primum anno 1951 in lucem vulgatus est, eo consilio est conscriptus ut negotia ac studia politica illorum virorum explorarentur quibus res publicae Romae atque fortuna configuratae sunt aetate illa cum populus romanus imperium per latum et longum mare nostrum propagabat. Nihil quidem longius a ratione politica factionum videbatur, sed ea erat prorsus ratio quae in societatis seu foederibus privatis ac familiaribus innitebatur quaeque, cum inter nobilitatis rem publicam administrantis membra perficeretur, commodis in primis familiae et amicitiae consulebat; praeterea, cum hae hujus modi societates politicae ab iis qui rem publicam gubernabant inirentur, condicionibus et necessitudinibus patronum et clientium insginatae erant. Haec singularis et auctorata investigatio, quae prima jam editione ab omnibus probata est omniumque plausus jure meruit, in praesens brevi disputatione amplificatur non nullarum rerum quae retractari auctori visae sunt simul atque recenti bibliographia locupletarentur. En totius operis index: *NOTES ON FRONTISPIECE* (p. XIII). *LIST OF ABBREVIATIONS* (p. XV). *FOREWORD*

(p. XVII). *INTRODUCTION* (p. 1). I. *THE DOMINATION OF THE NOBLES* (p. 8); II. *EARLY FAMILY GROUPINGS* (p. 31); III. *LIBERAL POLITICS AND POPULAR LEADERS* (p. 39); IV. *CONSERVATIVE STRATEGY AND POLITICS* (p. 56); V. *THE FIRST PREDOMINANCE AND DECLINE OF SCIPIO AFRICANUS*; VI. *SENATORIAL GROUPS AND FLAMININUS* (p. 89); VII. *THE SCIPIONIC RECOVERY* (p. 110); VIII. *THE SECOND PREDOMINANCE AND DECLINE OF SCIPIO AFRICANUS* (p. 128); IX. *CATO'S CENSORSHIP AND THE MIDDLE GROUP* (p. 153); X. *THE FULVIAN PREDOMINANCE* (p. 177); XI. *FULVIAN DECLINE AND NEW GROUPS* (p. 190); XII. *THE ACHIEVEMENT OF AEMILIUS PAULLUS* (p. 207); XIII. *BALANCE OF POLICY AND GROUPS* (p. 220); XIV. *PROBLEMS AND POLICIES OF THE SENATE* (p. 232). *EPILOGUE* (p. 246). *Appendix I: SOURCES FOR SENATORIAL POLITICS* (p. 249). *Appendix II: NOTES ON CATO'S SPEECHES* (p. 256). *Appendix III: NOTES, POLITICAL AND PERSONAL* (p. 273). *Appendix IV: THE TRIALS OF THE SCIPIOS* (p. 290). *CONSULS AND CENSORS* (p. 304). *PRAETORS* (306). *GENEALOGICAL TABLES* (p. 309). *INDEX* (p. 313).

DE CHAMPOURCIN, E. — *Dios en la poesía actual. La búsqueda de Dios en la poesía moderna española e hispanoamericana.* Segunda ed. revisada y aumentada. Ed. BAC, Madrid, 1972. Pág. 419.

Primam editionem tanta expectatione lectores susceperunt ut, brevi ea exhausta, quam primum alteram edi-

tores in lucem edere coacti sint; secundam dicimus editionem magis amplificatam. In ea enim aliorum poetarum carmina sunt inclusa quae lingua catalaunica, vasconica, gallica conscripta sunt; praeterea scriptores Americae Hispanicae sunt etiam numero amplificati. Tres quasi partes inveniuntur in hoc opere quarum indice poetae distribuuntur: I. *EL MODERNISMO* (p. 31-100); II. *GENERACION DEL "27"* (p. 101-232); III. *GENERACION DE LA "POSGUERRA"* (p. 233-420). Etsi oculis leviter opus lustremus, statim autem non nihil commune his omnibus selectis vatibus perspiciemus: hi omnes poetae Deum inquirunt vehementer, de Deo enim colloquuntur Deumque inveniunt carminibus; de Deo quoque agunt poematis quibus sive Dei praesentia sentitur, sive vacua Dei describitur absentia: omnia enim poetarum studia a, qua procedunt, pendent via. Nam itinera videntur carmina, qua quisque poeta vitam suam vel aegerime trahit vel jucundissime portat. En leges carmina omnis generis: dolore, silentio, solitudine, pugna, tristitia, noctu, morte, fame referta, omnia carmina Deum petunt. Hanc igitur secundam editionem speramus legentium plausu acceptum iri sensumque nostratium religiosum religiosiis his carminibus amplius accendendum.

HAVIGHURST, R. J. - TABA, H. — *Carácter y personalidad del adolescente*. Ed. Marova, Madrid, 1972. Pág. 386.

Quantam auctoritatem momentumque habere hoc opus videatur, perspicue patet si XXIII capitum argumenta, quamvis breviter, rite perpendimus, a peritissimis viris in biologia, physiologia, psychiatria, anthropologia,

sociologia, psychologia exarata. Prima voluminis parte praecipua jaciuntur totius operis fundamenta quibus describitur ingenium seu indoles iis omnibus constitui proprietatibus moralibus quibus persona humana praedita est atque adjunctis socialibus circumscripta. Capita secundae partis investigationi statisticae dicantur, in quibus praevidentur rationes ac viae rei explorandae, praevidii quaestionum prospectus, descriptiones camporum futurarum investigationum quod ad instituendi munus spectat. Tertia parte singulae disputantur quaestiones quibus de certis personis humanis singillatim agitur ad earum indolem seu characterem describendum et ad regulas normasque quae aliis hominibus deinceps applicari possint, in univsum constituendas. Quarta parte summa quaedam universa praebetur atque interpretatio investigationum simul atque per opportuna commodantur monita ad rationem ac viam communem perficiendam qua indoles humana ejusque tuta evolutio foveatur. Quintam autem partem praecipuam rei peritis aestimamus quamque prae ceteris partibus jam inde primum legi oportet, ut rationes investigandi technicae, quibus auctores utuntur, facile utiliterque usurpentur. En habemus magni momenti documentum quod sine opera communi fieri numquam potuit; namque hujus modi investigatio absoluta atque perfecta est in parva quadam urbe haud nobili Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis suppositio nomine "Prairie City" insignita, in quam adulescentes omnis generis socialis studiorum atque institutionis in primis causa convenerat, a peritissimis in re viris, moderante Consilio Evolutionis Humanae Fovendae Universitatis urbis Chicago vulgo nuncupatae.

MARIANUS MOLINA, C. M. F.



**BIBLOGRAF, S.A.**

Editora de las Publicaciones **SPES Y VOX**

Calle del Bruch, 151 Teléfs. 2571304 - 2573158 • Telegrammata **BIBLOGRAF** BARCELONA-9

Corpus quod VOX inscribitur:

- DICCIONARIO ENCICLOPÉDICO ILUSTRADO.** Altera editio 1965 hodierna facta. — Tria volumina 3900 paginarum (17 1/2 × 26 cm.) pulcherrimis typis excusa (linteo contexta et in tergo corio) quibus plus 3500 tabularum pictarum, 70 paginae figurarum et quamplurimae chartae geographicae continentur.
- ENCICLOPEDIA MEDIANA.** . . . . . , alumnis in primis institutionis mediae elementalis destinata, 672 pp. et 22 tabulae et geographicae mappae coloribus illustratae.
- DICCIONARIO GENERAL ILUSTRADO DE LA LENGUA ESPAÑOLA.** Alteram editionem quam R. Menéndez Pidal, Praeses Regalis Academiae Hispanicae praefatione ornavit, iteratis curis S. Gili Gaya, Regalis Academiae Hispanicae sodalis, recognovit. XL - 1816 pp. 25 × 17 cm.
- DICCIONARIO MANUAL ILUSTRADO DE LA LENGUA ESPAÑOLA.** — Recognovit S. Gili Gaya, Regalis Academiae Hispanicae sodalis. VIII-1162 pp. 10 1/2 × 13 1/2 cm.
- DICCIONARIO ABREVIADO DE LA LENGUA ESPAÑOLA.** Recognovit S. Gili Gaya. Lexicon in usum puerorum impuberum ad regulas morum et disciplinae paedagogicae compositum. Scitis pieturis versicoloribus ornatum. XVI - 510 pp. 13 1/2 × 10 cm.
- DICCIONARIO DE SINÓNIMOS.** Samuel Gili Gaya, Regalis Academiae Hispanicae sodalis, digessit, XVI - 344 pp., 20 1/2 × 13 1/2 cm.
- DICCIONARIO MANUAL FRANCÉS-ESPAÑOL, ESPAÑOL-FRANCÉS,** 3.<sup>a</sup> edit. recognita et amplificada (tabulis grammaticis instructum). VIII - 914 pp. 20 1/2 × 13 1/2 cm.
- DICCIONARIO ABREVIADO FRANCÉS-ESPAÑOL, ESPAÑOL-FRANCÉS,** 672 pp. 13 1/2 × 10 1/2 cm.
- DICCIONARIO INGLÉS-ESPAÑOL, ESPAÑOL-INGLÉS** (tabulis grammaticis instructum) 1.450 pp. 25 × 17 cm.
- DICCIONARIO MANUAL INGLÉS-ESPAÑOL, ESPAÑOL-INGLÉS** (tabulis grammaticis instructum) 1.008 pp. 20 1/2 × 13 1/2 cm.
- CURSO SUPERIOR DE SENTAXIS ESPAÑOLA,** a S. Gili Gaya, Regalis Academiae Hispanicae sodale, exaratus, 320 pp. 15 × 17 cm.
- COMPENDIOS VOX DE DIVULGACIÓN FILOLÓGICA,** a S. Gili Gaya, Regalis Academiae Hispanicae, composita:  
I. Ortografía práctica. II. Resumen práctico de gramática española. III. Nociones de gramática histórica española. IV. Iniciación en la historia literaria española.  
*Quae Summaria in unum etiam volumen conglutinata veneunt*
- DICCIONARIO LATINO-ESPAÑOL, ESPAÑOL-LATINO,** lexicon ab Eustachio Echauri exaratum, 830 pp., 15 × 11 1/2 cm.
- DICCIONARIO MANUAL GRIEGO-ESPAÑOL,** a Josepho M. Pabón exaratum, 724 pp. 20 1/2 × 13 1/2 cm.
- SPES-DICCIONARIO ILUSTRADO LATINO-ESPAÑOL, ESPAÑOL-LATINO,** cui epitome grammaticae Latinae adjicitur. Praefationem scripsit V. García de Diego. Retractavit et sermonis ecclesiastici vocabulis auxit Jos. M.<sup>a</sup> Mir, C. M. F. XVI - 752 pp. 20 1/2 × 13 1/2 cm.
- SPES-DICCIONARIO ABREVIADO LATINO-ESPAÑOL, ESPAÑOL-LATINO,** 310 pp., 17 × 11 1/2 cm.

VOX - SPES: insignia ubique terrarum cognita et magni habita

# Domus libraria **COCULSA** inscripta

\* *Ecclesiae in primis inserviens.*

\* *Catalogum librorum a nobis petas.*

**Torregalindo, 5**

**MADRID - 16**

Cerei liturgici **G A U N A** ad cultum divinum.

Insigne publice incriptum pro «MAXIMA» et «NOTABILI»  
(marca registrada)

Capitula **G A U N A** ad cereos.

Summa parsimonia — Summa mundities.

Lampades cereae **G A U N A** legitime consignatae  
(patentadas)

ad Snum. Sacramentum, Vota, Domesticas Visitationes.

Hae lampades canoni 1271 accommodantur  
quibus et lumen TABERNACULO tutum redditur.

**SUMMA SECURITAS — PROSPER EXITUS**

Rem experire. — Statim pete a Ceraria:

**NIETOS de QUINTIN RUIZ de GAUNA**

(Domus anno 1840 condita)

Loculus tabellarius (apartado) 6 - M. Iradier, 44 - VITORIA (in Hispania)

# BIBLIOGRAPHIA

CAPA, J. — *Cómo descubrir las necesidades culturales de un barrio*. Fondo de cultura popular, N.º 5. Editorial MARSIEGA, Madrid, 1971. Pág. 92.

Ultimis annis superioribus hic inde in Hispania homines hominumque coetus assiduam institutioni adutorum popularique culturae operam navarunt, ut ad altiorem cultus ordinem populus promoveretur. Quam saepe qui hanc plebis provectum fovent, ea tamen eruditione et experientia carent quae ipsis omnino necessaria aestimatur ad tantum munus recte perficiendum. Qua propter domus libraria "Marsiega" vulgo nuncupata optimum in ditione pastoralis et culturali praestare servitium nititur non nullis libris edendis a peritis in re viris conscriptis, in quibus inest mira et rara illa virtus theoreticas rationes conjungendi cum optimis vitae experimentis. Opusculo quod lectoribus recensemus analysis fit laboris culturalis qui in urbe Matrino in vico Orcasitas vulgo nuncupato nuper peractus est. Ab hujusmodi inde experientia Josephus Capa, praestans socius cujusdam gregis hominum popularem cultum provehentium, scienter prudenterque exponit quibus gressibus sit incedendum antequam quilibet opera seu inceptum culturale in vicis nostrarum urbium recentium peragendum instituatur; quod fit juxta indicem: 1. *En un barrio de Madrid* (p. 15); 2. *Análisis del barrio* (p. 29); 3. *El grupo animador* (p. 45);

4. *Las necesidades culturales de un barrio* (p. 55); 5. *La cultura, una guía para la acción* (p. 73). *Anexos* (p. 81).

MIALARET, G. — *El aprendizaje de la lectura*. Biblioteca del educador. Ed. Marova, Madrid, 1972. Pág. 154.

Si operis indicem perspexeris, propositum auctoris statim patefiet: 1. *Saber leer* (p. 11); 2. *Métodos, técnicas y procedimientos* (p. 19); 3. *Madurez para el aprendizaje* (p. 35); 4. *Psicología de los métodos. El método global* (p. 79); 6. *El control de los resultados* (p. 125). *Conclusión* (p. 141). *Apéndice* (p. 145). Prof. G. Mialaret perspicuum inde propositum apparet: exponere nempe rationes ac vias quibus pueri ad recte legendum edocentur. Quapropter auctor rite quaestiones illas omnes accurate perpendit quae in lectione discenda plerumque cuilibet magistro et alumno occurrere solent. Auctor methodum quam "globalem" appellat pro viribus propugnat validissimis rationibus fretus, nam omnia quae ipse quasi e privato penu profert, in analysi psychologico et experientia immituntur. Magistris igitur qui prima pueris elementa tradere debent, hic libellus magno erit adjumento, nam neminem praeterit quantum a bona aut mala ratione ac via in ediscenda lectione pendeat futura puorum fortuna in studiis posterioribus, cum optima legendi ratio quasi clavis omnium cognitionum humanarum jure videatur.

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

# TEXTOS PALAESTRA LATINA

GRAMATICA GRIEGA, Planque, Aneme, Lerniaux, 2. <sup>a</sup> ed.	100'—
GRAMATICA LATINA, J. Delgado. (Agotada) ... ..	70'—
REPETITORIUM, J. Delgado ... ..	70'—
DE ORTHOGRAPHIA LATINA, J. Delgado ... ..	20'—
INDEX ORTHOGRAPHICUS, J. Delgado ... ..	6'—
CICERONIS PRO ARCHIA ORATIO, J. Delgado ... ..	20'—
CICERONIS IN CATILINAM ORATIO PRIMA, J. Delgado ... ..	20'—
HISTORIAE SACRAE COMPENDIUM, J. Delgado ... ..	20'—
EPITOME HISTORIAE GRAECAE, J. Delgado ... ..	20'—
CICERONIS EPISTULAE SELECTAE, J. Mir ... ..	20'—
VERGILI AENEIDOS LIBER II, E. Martija ... ..	20,—
PRUDENTI CARMINA SELECTA, E. Martija ... ..	20'—
CORNELI NEPOTIS VITAE, M. Ramos ... ..	20'—
CICERONIS PRO Q. LIGARIO ORATIO, M. Ramos ... ..	20'—
MARTIALIS EPIGRAMMATA, R. Sarmiento ... ..	15'—
HORATI CARMINA SELECTA, Zuloaga ... ..	20'—
HOMERI ODYSSEA, Lib. I, D. Ruiz ... ..	25'—
XENOPHONTIS ANABASIS, M. Ramos ... ..	25'—
NOVA VERBA LATINA, J. Mir ... ..	500'—

Pedidos a:

## EDITORIAL CLARET

LAURIA, n.º 5

BARCELONA (10)

---

---

## Fundació Bernat Metge

SCRIPTORUM CLASSICORUM BIBLIOTHECA CATALAUNICA

Veterum Graecorum et Romanorum textuum editiones brevi apparatu critico instructae, necnon praefationibus notisque translationem catalaunicam ex adverso adjectam illustrantibus. Volumina nuper emissa:

180	Ovidi - Amors
181	Aristòfanes - Comèdies (vol. III)
182	Cal·limac - Himnes
183	Virgili - Eneida (vol. I)
184	Hipòcrates - Tractats mèdics (vol. I)

Subnotationes mittantur ad:

**EDITORIAL ALPHA, S. A.**

Via Layetana, 30 - BARCELONA